6
22-f
11

6
16 E
13

6_22.1.4

Digitized by Google

MVSARVM PLAVSVS

PERVSII
IN AVGVSTO D. PETRI MONAST.º
Congregationis Caſsinenſis

Ad Anni MDCXLIII.

GENERALIA PATRVM COMITIA
EXCITATVS.

Auctore

D. PETRO ROMANO

Eiuſdem Monaſterij Priore.

AVGVSTAE PERVSIAE.

Ex Typographia Epiſcopali, Apud Angelum Bartolum.

Superiorum Licentia. MDCXLIII.

Digitized by Google

EMINENT.MO AC REVER.MO PRINCIPI
FRANCISCO
CARD. BARBERINO
CONGR. CASSINENSIS
PROTECTORI.

BIBLIOTECA ROMA

D. LEO PAVONIVS A TVDERTO
Abbas S. Petri Auguſtæ Peruſiæ Fel.

APollinem optabat ſuum excitatus in hoc Auguſto Diui Petri Monaſterio Muſarum plauſus, Eminentiſsime Princeps. Neque vero Apollinem inuenire arduũ fuit negotium, quem tenebrarum ſimul ac latebrarum neſcium proprius fulgor vel nolentem prodit. Te inquam, FRANCISCE, meditatus illico eſt, qui vel Terrarum Apollo, vel certè Patruo tuo VRBANO VIII. Pontifici Optimo ſimul ac Maximo Apollini fulgentiſsimo proximus, tantum habes lucis, vt latere non poſsis. Deiectis igitur oculis, ac vultu, tuum ante conſpectum ſiſtitur, vt & à te præſente lucem accipiat, & demiſſo obtutu tuorum declinet ſpicula radiorum. BENEDICTVM certè Parentem noſtrum

Sanctiſ-

Digitized by Google

Sanctiſsimum ſuarum *ille* laudum potiſsimum habuit argumentum. Cui accedentes ad Comitia Caſsinenſes Præſules gemmeam aduentu ſuo texuere Coronam. Tu tamen hac in Corona quantum tibi vendices laudis, tuum ipſum abundè Nomen oſtendit, ex quo CLARI SIDERIS INSTAR, OSTRO INSIGNIS ita Coronam illuſtras, vt gemma quidem ſis, at è Cœlo. Auſpicatiſsimè omnino, vt quæ Beatiſsimam VIRGINEM DE LILIO ambitura erat Corona, Stellæ Maris MARIAE nouum te ſidus Coronarium interſerat. Hæc illa eadem Imago Virginis eſt, cuius exemplar à me olim, hunc ipſum Abbatis locum tenente, Tibi tranſmiſſum aſpexiſti cum plauſu, & cui ſplendidiùs aliquantò, quàm tunc feceram Ruri, noſtro in hoc Diui Petri Templo ſacellum in præſentia poſui; concepta ſpe nunc etiam à te probatum iri collocatos in honeſtanda Virgine ſumptus, quos olim eidem traditos in me tuis laudibus commendare dignatus es. Meam hic ego mihi gratulor felicitatem, quòd, ſi minus Caſsinenſium Præſulum ſacris veſtibus,cultuque ſolemniore occurrentium Virgini Corona partes omnes abſoluerat maieſtatis, tui nominis gemma cumulatiſsimè quidquid deeſſet impleui. Tu, pro ea qua ſoles humanitate præcipua ratum habe quod feci, ſimulque litterarium hunc Apparatum tenui expreſſum volumine eodem amplexu excipe, ac foue. Lucem hic vidit, amante tenebras Auctore, ſed illum ego, Priorem nempe meum, in ſpem certè meliorem erexi, & qui ſuos hoſce partus minimè ad lucernam exploratos, adeòque tenebris dignos aiebat, eum ego confidentem feci, vel minima, & obſcura maximis, clariſ-

ſimiſque

ſimiſque ab Heroibus magnitudinem accipere ſimul, & lucem. Tuum igitur hoc totum qualecumque ſit, eſto, tenue quidem, ſed obſeruantiæ in te meæ maximæ argumentum. Tenue etiam, quod te fortaſſe non dedecet; Pauperes enim magnis ditantur muneribus, Maximi qui ſunt, minima idcirco accipiunt, vt ea faciant accipiendo ingentia. Viue diu totius Chriſtianæ Reipublicæ bono. Vale.

Digitized by Google

Sanctiſsimum ſuarum ille laudum potiſsimum habuit argumentum. Cui accedentes ad Comitia Caſsinenſes Præſules gemmeam aduentu ſuo texuere Coronam. Tu tamen hac in Corona quantum tibi vendices laudis, tuum ipſum abundè Nomen oſtendit, ex quo CLARI SIDERIS INSTAR, OSTRO INSIGNIS ita Coronam illuſtras, vt gemma quidem ſis, at è Cœlo. Auſpicatiſsimè omnino, vt quæ Beatiſsimam VIRGINEM DE LILIO ambitura erat Corona, Stellæ Maris MARIAE nouum te ſidus Coronarium interſerat. Hæc illa eadem Imago Virginis eſt, cuius exemplar à me olim, hunc ipſum Abbatis locum tenente, Tibi tranſmiſſum aſpexiſti cum plauſu, & cui ſplendidiùs aliquantò, quàm tunc feceram Ruri, noſtro in hoc Diui Petri Templo ſacellum in præſentia poſui; concepta ſpe nunc etiam à te probatum iri collocatos in honeſtanda Virgine ſumptus, quos olim eidem traditos in me tuis laudibus commendare dignatus es. Meam hic ego mihi gratulor felicitatem, quòd, ſi minus Caſsinenſium Præſulum ſacris veſtibus, cultuque ſolemniore occurrentium Virgini Corona partes omnes abſoluerat maieſtatis, tui nominis gemma cumulatiſsimè quidquid deeſſet impleui. Tu, pro ea qua ſoles humanitate præcipua ratum habe quod feci, ſimulque litterarium hunc Apparatum tenui expreſſum volumine eodem amplexu excipe, ac foue. Lucem hic vidit, amante tenebras Auctore, ſed illum ego, Priorem nempe meum, in ſpem certè meliorem erexi, & qui ſuos hoſce partus minimè ad lucernam exploratos, adeòque tenebris dignos aiebat, eum ego confidentem feci, vel minima, & obſcura maximis, clariſ-

ſimiſque

Digitized by Google

ſimiſque ab Heroibus magnitudinem accipere ſimul , & lucem. Tuum igitur hoc totum qualecumque ſit, eſto, tenue quidem, ſed obſeruantiæ in te meæ maximæ argumentum. Tenue etiam, quod te fortaſſe non dedecet; Pauperes enim magnis ditantur muneribus, Maximi qui ſunt, minima idcirco accipiunt, vt ea faciant accipiendo ingentia. Viue diu totius Chriſtianæ Reipublicæ bono. Vale.

AVCTOR LECTORI.

NOn me , Lector humaniſſime , fugit in quorumdam anagrammatum textura , quæ tibi Apparatus hic noſter ob oculos ponit , liberiorem me , ſolutioremuè aliquantò fuiſſe, quàm eiuſmodi telæ ratio ſatis arcta depoſcit . Quid igitur ? accuſabis ne illico ? imò verò tuam ob animi facilitatem laborem dumtaxat æqui , boniquè facies, dabiſquè hanc mihi libens veniam in omnibus , quæ licentius exarata cognoueris , quòd intra temporis anguſtias, maiores illas quidem, quàm vt credere poſſis, coactus ſim inuenire gemmas , ſeu fulgores , nominibus aptare , anagrammata deducere ; ad hæc epigrammata contexere, vnoque verbo præcipitanter totum opus abſoluere . Neque iactantiæ tribuas , ſi dixero (id quod ingenuè fateor) me ſæpiſſimè, imò vt plurimùm, intra vnum diem, octo ac decem epigrammata , plura etiam anagrammata exaraſſe non dicam , at planè de calamo in paginam præcipitaſſe.. Adde me non ſeriò ab initio, ſed animi quodammodo , ac voluptatis ergò mentem ad ſcriptiones huiuſmodi adieciſſe , ancipitem ſemper ac incertum , an litterarius hic publicus Apparatus , quem tenebris citius dignum fore putabam, publicam vllam viſurus eſſet lucem; ad quam non meo quidem arbitrio, ſed maiorum imperio typis ita commiſſum euocatum eſſe ſcias . Obſtiti , fateor , aliquantulum , vtpotè qui partus adeo præceps , verebar , ne prorumperet in abortum , cui ne vltimæ quidem manus adijciendæ ſpes eſſet , poſtulantibus opus , tum Typographo ad prælum , tum Scriptoribus ad Chartulas pro apparatu publico conſcribendas: adeoquè reciſæ moræ, ſubmotæ omnes induciæ ſunt , ne quod ego mihi tempus tribuiſſem , illud prælo , & Chartulis, hoc eſt tibi, deeſſet . Habeo tamen, quæ mihi , meæquè imbecillitati patrocinetur, clementiam tuam ; cui ſi peccata operis omnia cognoſcenda reliquero , certò me abſolutum iri confido . Sed vtcumque de Scriptore ſenſeris ; quod certè mihi negare non poteris : argumentum operis laude digniſſimum lauda , & Vale.

SERIES

Digitized by Google

IN PLAVSVM MVSARVM
Ab inſigni Rhetore PETRO CLAVARINO Priore Caſinenſi excitatum.

MVſarum docto reſonas dum carmine plauſus,
Cur ſileant nomen plectra canora tuum?
Gemmea virtutum dum nectis ſerta canendo,
Nulla tuum Pindi Gemma coronet opus?
Eia age, quid ceſſant præconia ſoluere Muſæ?
Fœnore nec laudes vberiore canunt?
Illæ aliena chely (haud mirum) decora ampla laborant,
Inde tuis nequeunt laudibus eſſe pares.
Te quoque maiori celebraret pectine Phœbus,
Sed cythara Aonidas emodulante regit.
Ergo alij plaudant. meritos tibi Gloria plauſus,
Vnaque pro cunctis inclyta fama dabit.

Petrus Paulus Marina Diœc. Sublacenſis Vic. gen.

In Gemmeam Coronam quam Auctor carmine fabricat.

SErta triumphales Regum comitantia pompas,
Quæque Ariadnæis Aſtra dedere comis,
Iam ſileant. melius gemmarum fulgidus ordo
Frontibus Heroum te, PETRE dante, micat.
Quam bene! cuique ſuam dum das, CLAVARINE, Coronam;
Ornant mille tuum gemmea ſerta caput.

Annibal Valerianus.

Alluditur eòdem.

QVale oculis portentum, & quæ inconſueta Coronæ
Pompa? manus quænam Dædala finxit opus?
Gemmea ſideribus vileſcunt ſerta, nouiſque
Gemmarum radijs cingier, ardor ineſt.
Pallentiſque Tagi nullus ſcrutator arenæ eſt,
Spretaquè Hydaſpæo in littore gemma dolet.
Vt Superum viuis Vrbs eſt fabricata lapillis,
Sic viuis gemmis ſerta Corona tua eſt.
Fulgurat hæc certè gemmarum luce ſuperba,
At magis illuſtri te micat Artifice.

Idem Annibal.

Ad Virum Clariſsimum D. PETRVM CLAVARINVM Priorem Caſinenſem.

Ex Plin, lib. 37. cap. 1.

IN Gemma dictus Muſas Rex Pyrrhus habere;
Sed Muſæ mutæ, Gemma ſed vna fuit.
At tibi vocales plaudunt in carmina Diuæ,
Et gemmas, quot tu carmina ſcribis, habes.
Sic benè cum titulis radiant Epigrammata gemmis.
Muſicus ingenio, Gemmeus arte liber.

Felix Verducciolus in Patrio Auguſto Gymnaſio Eloq. Prof.

Admo-

Digitized by Google

Admodum Reuerendus Pater Domnus PETRVS CLAVARINVS è Roma, Monachus Congregationis Caſsinenſis

Anagramma

Da ò Prior, Muſarum plauſus Auctor, da verſus; ne ſic magnus eris, nec non dono Dei gemma nitens Achates.

M*VSARVM PLAVSVS AVCTOR DA carmina prælo,*
Carmina quæ precibus ſcripta fuere meis.
DA PRIOR O' VERSVS; NE SIC & nomine MAGNVS
Et digno Muſis carmine magnus ERIS.
At pudor ingenuus, tacitæque modeſtia mentis
Lucis ab aſpectu fortè retardat opus.
Sed petram decet ille tuam rubor, alter Achates
Vt ſis, purpureo GEMMA colore NITENS.
Gemma DEI DONO, NEC NON rubicundus ACHATES
Eſto. hic cum Muſis cantor Apollo ſedet.

Priori ſuo ſummè obſeruabili
D. Antonius à Panormo Caſin. Prof. S. Mart.

Pro Gemmea Corona.

V*T tua ſidonio diteſcant ſerta nitore,*
Vlla nec in terris ſplendidiora micent;
Non tibi ſuppeditet radiantia lumina Phœbus,
Nec ferat ardentes ſtella Ariadna faces.
Prodigus auratas nec Ganges fundat arenas,
Vlla nec eois gemma trahatur aquis.
Tu calamo artifici connectis, PETRE, corollam
Tale opus, vt reliquas pondere vincat opes.

Fabianus Caliſanus.

S'allude

S'allude alla Corona di Gemme, che ſi teſſe nell' opra.

LA Tiranna volubile de' Cori,
Che gl' imi inalza, e le grandezze atterra,
A vantar più non venga i ſuoi teſori
Degni d'eſſer dannati à ſtar ſotterra.

Scorri di PIERO i muſici tenori;
Picciol volume ampio teſor riſerra,
Ch' accoglie quel per generar ſtupori
Quante gemme nel ſen chiude la terra.

Ciò che MIDA toccò con man tenace
Di pur' or fiammeggiò, s' il fals' hà fede;
Quanto canti tù PIER Gemma ſi face

E 'l Mondo vien di tue ricchezze erede:
Ch' è de' teſori Poſſeſſor verace
Chi diſpens' i teſor, non chi poſſede.

Del Dottor Carlo Vuetti.

SERIES

SERIES APPARATVS.

AVguſtum Diui Petri Monaſterium intrantibus, qua parte poſt impluuium populo ſeruiens Monachos Ianua in clauſtrum admittit, ambulacrum ſe primò offert continuo fornice tectum, cuius in aduerſo ad calcem pariete, pro Ianuæ conſpectu Sanctiſſimi P. N. BENEDICTI Cœlum aſpicientis depicta occurrit Effigies. Scabellum hìc decentiore ornatu aderat ad flectenda genua comparatum; è quo antequam ad deſtinata cubicula ſinguli progrederentur, modicas ex more conciperent ad Deum preces. Ad Imaginis igitur latera, quæ parietis intercapedo medium excipiebat Altare, duo deſcripta erant Epigrammata, Alterum Reuerendiſſimorum Abbatum Sanctiſſimo ſe Parenti dedicantium in hunc modum

AVſpicio BENEDICTE tuo in Comitia Patrum
Accedam; è Cœlo tu mihi Præſes ades.
Vota, niſi è rutilo quæ tu dictabis olympo,
Hic lito, nam ſolùm cœlica vota placent.
At cum ſæpe Hominum caligo lumina obumbret,
Pelle tuo noctem lumine, prome diem.

Alterum Parentis Sanctiſſimi Abbatibus reſpondentis, hoc pacto

ERror abeſt menti, ſi mens in pectore recta eſt
Quam diuus certa rexerit arte timor.
Ille timor, cunctos abigit qui à Corde timores,
Cuius & omnia ſunt tuta magiſterio.
Vos veſtra ad vultum componite Corda Parentis;
Solus, qui cernit ſidera, cuncta videt.

Hinc poſt breue ambulacrum aditus ſe in aream explicat ingentem, xyſtis quatuor coronatam. Hæc, in eo vltimo qui eſt à fronte xyſto, mediam oſtendit Aulam, cui nomen Capitulo eſt, foribus carentem, nuceiſque ſubſellijs cinctam: Et hanc nobis Muſarum ſedem ad vniuerſum apparatum elegimus. Parietes eius omnes, ſuſpenſis veſtiti fuerant Elogijs, & Epigrammatibus, quæ, ſiquidem Monaſterij totius caput eſt Aula, ſic etiam duxere à Sanctiſſimi P. Benedicti, & Congregationis vniuerſæ laudibus argumentum. A fronte, ac parte Aulæ præcipua Suggeſtus aderat Theſibus tùm Philoſophicis, tùm Theologicis propugnandis appoſitus, quæ Palladis certamina toto Comitiorũ tempore commiſſa ſunt, aſſiſtentibus, pro Theologis præclarę eruditionis virtutiſque Viro Admodum Venerando P. D. Angelo à Neapoli in Sacro Caſſinenſi eius profeſsionis Cœnobio Sacræ Theologiæ Profeſsore, Congregationis noſtræ Decano, pro Philoſophis verò Theologo Viro P. D. Antonio à Neapoli S. Laurentij Auerſæ profeſſo, in hoc eodem S. Petri Cœnobio ordinario Lectore. Inſignem verò ſe præbuit magiſtrũ P. D. Laurentius Romanus Sacri Sublacenſis Cœnobij profeſsus, qui in defendendis Theologicis Theſibus, nullius, præter ſuæ ſapientiæ, patrocinium habuit. Imminebat ſuggeſtui in editiori loco Inſigne Eminentiſſimi Principis FRANCISCI Cardinalis BARBERINI Protectoris, tamquam cæterorum Corona, inter duo Epigrammata, Alterum in eius Inſigne.

Paruula

Digitized by Google



Paruula ſi magni radioſa Inſignia pingit
Principis, ò quantùm paruula plaudit Apis!
Quæ parit ore fauos, ferit indito acumine fucos,
Et genus ipſa procul ſedula ſegne fugat.
Noſce tuos patria, FRANCISCE, in imagine vultus
Quando animi mores exprimit illa tui.
Nempe fouere bonos, & debellare ſuperbos
Munera ſunt Regis, munera ſunt; & Apis.

Alterum in ſubiectum Nominis Anagramma

Emin.

Emin.mus ac Reu.mus

D. FRANCISCVS CARDINALIS BARBERINVS

Congregationis Caſsinenſis Protector.

Anagramma

Ecce inſtar tu clari ſideris, oſtro inſignis, coronam nr̃am fœcundè gubernas, ac puriſsimus beas.

Epigramma

Secula te inuideant nobis, FRANCISCE, *futura;*
Nulla acti nobis temporis inuidia eſt.
Nec videre Patres, nec poſt meliora Nepotes
Qui te non poterunt cernere, conſpicient.
ECCE INSTAR CLARI radians TV SIDERIS, OSTRO
INSIGNIS, tua ceu Regia geſta decet,
FECVNDE NR̃AM ipſe CORONAM ritè GVBERNAS
AC PVRISSIMVS hæc tecta Caſina BEAS.
Hoc fluat æternum voluenda in ſæcula nomen
Si FRANCISCE *beas, te reor eſſe Deum.*

Subijciebatur ſtemmati Eminentiſſimi Protectoris Inſigne Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini D. IO: IACOBI PANZIROLI Patriarchæ Conſtantinopolitani, nunc apud Hiſpanum Regem Apoſtolici Nuncij, cuius merita maximè colit Congregatio; ex cuius vtroque latere duo pendebant ipſius Anagrammata cum ſuis Epigrammatibus.

Digitized by Google



Ioannes Iacobus Panzirolus

Anagramma

Vnio nobilis es, ac ſupera Zona.

Epigramma

Quo alluditur ad gentile ipſius ſtemma.

E Gremio Lorica ſoli tibi ferrea venit
Lædere quà nequeunt tela inimica latus.
Si Oceanum ſpectes ES NOBILIS VNIO ponti
Conceptus liquidi rore cadente Iouis.
Ipſe etiam tibi demiſit. ſua ſidera olympus
AC SVPERA in Cœli vertice ZONA nites.
Sint homines reliqui paruus licet orbis; at alter
Te magis ornatus non Microcoſmus erit.

Io:

Io: Iacobus Panzirolus Rom.ˢ

Anagramma

Plus auro obrizo nobis micas.

Epigramma

QVàm bene magnetem dixerunt pectoris aurum,
Arcana quòd vi è pectore corda trahit.
Sed rapiat fuluum reliquorum corda metallum
Caſſinæ ſobolis Cor magis ipſe rapis.
PANZIROLE, *liquet ratio, PLVS ſcilicet AVRO*
OBRIZO NOBIS corda trahente MICAS.

Suggeſtus latera cingebant vtrinque duo ad abſolutam vniuerſæ ſcientiæ notionem contendentium Emblemata, ſuppoſita ſingulis, vt illa poſtulabant, epigraphe, **Emblema primum** Artificem rudi expoliendo Adamanti referebat intentum.



CAndidus enaſcor, ſed me terra inficit, inde
Artifici emaculor ſæpe iuuante manu.
Mox Adamas oris natiuo lumine clarus
Aurum inter Regum nobile cingo caput.
Sic natura hominum iubar alto in pectore format,
Mortua ſed lux eſt abſque magiſterio.

Alterum verò, Iuuenem optico ſpecillo ſidera contemplantem oſtendebat.

Aetherios



AEtherios orbes, & clarius aſtra tueri,
Optica, quam cernis, fiſtula ſola valet.
Lyncea ſic etiam cui ſtat ſapientia mente
Abdita mente acri noſcere cuncta poteſt.

Dexterum Capituli latus in loco principe Sanctiſſimi P. Benedicti ſimulacrum è columna eminentis, pedum ſuſtinentis læua, dextera vero manu ſalutare Crucis ſignum auſpicantis proponebat. Ex vtraque vero ſimulacri parte Elogium pendebat, & Epigramma. Quæ omnia hic tibi ob oculos ponuntur



ELOGIVM

Digitized by Google

Elogium

Cuius hic radios, Lector, attonitus intueris
In hanc BENEDICTVS *lucem obſcurò prodijt è ſpecu;*
Quem ſi quiſquam appellare Solem hactenus dubitauit,
Indubitanter poſthàc illuſtrem prædicet appellationem.
Nimirum non niſi è tenebroſo noctis ſinu Sol erumpit in diem.
Cæterorum omnium celſiſſimus Columnæ ſuperinſidet
BENEDICTVS
Iure quidem, quando vt ſe maior ſurgeret, demiſſa iacuit in ſpina;
Et qui corporis proceritate non minus
Quàm gigantæa virtutum animi magnitudine
Se ſupra cæteros extulit,
Præ cæteris etiam in editiſſimo loco
Suum habere decuit ſimulacrum.

Epigramma

QVem ſuper extantem ſublimis mole columnæ
Cernis, cui multum numen in ore ſedet;
Ille latebroſo BENEDICTVS *prodijt antro,*
Alcide vt maior monſtra inimica domet.
Ille haſtam læua ſtygium contorquet in hoſtem,
Verùm in nos dextrà ſigna ſalutis habet.

Mox Elogia, Anagrammata, & Epigrammata in eiuſdem Sanctiſſimi Parentis laudes eodem quo hic diſpoſita ſunt ordine, ſequebantur.

Digitized by Google

Elogium I.

Ne metue pudorem calame
Si minus bene dictata exprimes
Certe BENEDICTVM ſcribes.
Illuſtribus Hic ortus natalibus
Dum virtutibus gentiles illuſtrat,
Nimia luce propemodum obſcurat.
Tellurem vix aſpexit, cum deſpexit,
Cuius ne Cœnum contraheret
Oculos abſtraxit in Cœlum.
Ita mordicus vel ipſe Cœlum amauit
Vel ipſum Cœlum hamauit.
Serius in terrarum ludicris
Feſtiua ſerietate luſit in aſtris.
Elementa cum diſceret litterarum
Cœleſtem hauriebat animo litteraturam.
Vere Puer magnus
Qui de litterarum Lycæo
Gradum fecit ad ſpeluncam penitus gigantæum.
Antrum ferarum adiјt domicilium
Eò fortaſſe humanitatis oblitus,
Vt indueret quodammodo Diuinitatem.
Hic ad mollitiem durus, obduruit in pœnis.
Incurſantem vt expungeret Venerem
Spinis vltrò ſe ipſe compunxit;
Ita picturis integritatis expreſſit picturam.
Gemino æternum geminandus miraculo,
Suo quòd ſanguine roſas excitauit in ſpinis,
Lilia ſeruauit in corpore.
Diſce Lector
Magnum faciunt non anni, ſed virtus.

Elogium

Digitized by Google

Elogium II.

Famelicus ex Antro BENEDICTVS erumpit ad prædam;
Vſque adeò vel ipſa loca inſtillant animi mores.
A ferarum hoſpitio prædari BENEDICTVS didicit
Non ſibi ſed Deo;
Imò etiam ſibi, non vt expleret ventrem,
Sed vt animum recrearet.
Illud mirum; quòd ad prædantem vltrò concurrebant prædæ;
Vſque adeò vincire, ac vincere leue eſt negotium ſanctitati.
Homines à voluptatis caſtris, pietatis vocauit in clauſtra,
Eoſque ferreis catenis exoluit, aureis dum inuoluit.
Quos impia libertas in interitum mancipabat,
Pio mancipatu ſalutis reddit libertati.
Cœli filius, Prolem Pater edidit cœleſtem.
Animum candore lucis
Corpus nigra veſte contexit;
Nimirum atrata veſte corpori perpetuò parentabat in terris,
Qui animo ſemper viuebat in Cœlo.
Dicam melius, noctem promebat in corpore,
Diem premebat in Corde.
Solem ſuum ſolum nouerat Deum,
Expertem ſcilicet occaſus, vt ſemper in lumine graderetur.
Immortalis Heros nobiliorem Galaxiam,
Non exiguis ſideribus,
Sed maximis à ſe ſtratam virtutibus calcauit;
Melioribus nempe aſtris
Quæ ſui ſolis ad exemplum occiderent numquam
Maiorem ſemper creſcerent in lucem.
Diſce Lector
Inocciduam is habet lucem, qui numquam occidentem Solem
Semper aſpicit Deum.

Elogium

Elogium III.

Monachorum Patrem
Miraculorum Patratorem
Aſpice ſimul, Lector, ac ſuſpice BENEDICTVM.
Parentis Mauri pedibus aquas obdureſcere iuſſit Parens;
Et implacidi fluminis impetu demerſum Placidum,
Currente ſuper aquas Mauro,
Currentem ad mortem filium ſiſtit ſimul ac reduxit.
Vſque adeò vèl mollia eius ad imperium obduruerunt,
Qui ſemper durus fuit in mollibus.
Ruſtici filium pulchro miraculo abſtinuit à ſepulcro,
Vitæque vſuram reddidit,
Quam ille ſoluerat morti.
Ita omnium natus erat bono
Qui non viuis tantùm profuit,
Sed animauit extinctos.
Futuram ſemper animo meditatus vitam
Vates fuit certiſſimus futurorum.
Quid enim lateret virum, cui patebat Deus?
Infractos armis Reges terruit aſpectu;
Perfrictamque hoſtium cecìdit audaciam,
Quia mendaci ſub hoſte non vnquam cecidit.
Denique ſic Cœlitibus carus
Vt inter homines rarus
Ceſſit terræ conceſſurus in aſtra.
Vitam deſtituit, velut inſtituit,
Sol hominibus òcciduus, Cœlitibus rediuiuus.
Rectà Cœlum adiuit,
Quia ſemper collineàrat ad Cœlum.
Diſce Lector
Miram obit mortem, pura qui abit è vita.

Elogium

Diuus Pater Benedictus Caſsinenſium, et omnium occidentalium Monachorum legiſlator maximus.

Anagramma I.

En Hic ſumma Dei gratia accenſus, ſub vno ameni Solis radio totum mundum mirè collectum inſpexit.

Epigramma

VEnerare magnum grandis ò ſoboles Patrem.
ACCENSVS EN HIC GRATIA SVMMA DEI
TOTVM per omnes diſſitum MVNDVM plagas
SVB VNO AMENI SOLIS INSPEXIT procul
RADIO MIRE iubente COLLECTVM Deo.
Miracla tamen hæc mitte mirari Patris;
Compendiarium leue fuit cernere
Orbem Patri, qui corde claudebat Deum.

Diuus Benedictus è Nurſia magni ordinis Nigrorum Caſsinenſium fundator, omniſue monaſticæ Religionis in Regione occidentali Pater, Patriarcha, et ſupremus legiſlator.

Anagramma II.

Is Domini Vir in ſplendore coruſcae lucis noctu ouans, vidit S.ti Germani Epi animam in ſphaera ignea ab Angelis in Coelum deferri. Ita ſeriò ſanctus nr Gregorius mundo teſtatur.

QVi primus orbi clauſtra Monachorum dedit
IS LVCIS IN SPLENDORE VIR DOMINI inclytus
VIDIT CORVSCAE, NOCTV OVANS, EPI
S.TI GERMANI IN IGNEA SPHAERA leuem

E AB

AB ANGELIS IN COELVM ad occurſum datis
Splendidè ANIMAM DEFERRI: ITA egregia fide
SANCTVS GREGORIVS NR Heroum decus
TESTATVR, ipſe SERIO MVNDO. Parens
Quàm clarus animo regna penetrauit poli,
Si tàm coruſcum fulſit oculorum iubar!

Sanctiſsimus Pater Benedictus Patria Nurſinus, familiae Aniciae decus, omnium Monachalium Religionum in Regione occidentali Legiſlator, Praeſes, et Cuſtos, de toto orbe rectè meritus.

Anagramma III.

Is Heros, cum in Cella conſiſteret, vidit laetabundus (donante Domino) iuſtiſsimam Sororis animam in Columbae ſpecie, Coeli tunc ſecreta feliciter penetrare, vti magnus ait Gregorius.

Epigramma

IN CELLA IS HEROS CVM ſua CONSISTERET
Jn Corde LAETABVNDVS (aulæ cæleſtis
DONANTE DOMINO ſcilicet) VIDIT ANIMAM
JVSTISSIMAM SORORIS IN, pulcherrimæ
SPECIE COLVMBAE TVNC ad ipſa fulgidi
SECRETA COELI (MAGNVS VTI AIT GREGO-
FELICITER PENETRARE. quanta ò gaudia RIVS)
Vtriuſque fratris, & Sororis diſcite
Quænam fuere funerum diſcrimina;
Illa vt Columba in aſtra, Hic vt Phœnix ijt.

Sanctus

Sanctus Benedictus ſui ordinis Patriarcha

Anagramma IV.

Hic ſpinis cruentus ac ſanatus dicabitur Deo.

Epigramma

VT Venerem fugiat, fugit in dumeta, ſuique
Proluit vrentes ſanguinis amne rubos.
Auguror. HIC SPINIS Benedictus, membra CRVENTVS
Impuram fodiet, ſe fodiendo, Deam.
AC mox SANATVS per vota DICABITVR aſtris,
Et rutilo deget victima ſacra DEO.
Victima; nimirum proprio iam ſparſa cruore eſt,
Et pro igne ætherius corda cremabit Amor.

S.tus Parens Benedictus ſui ordinis fundator; et Praeſes.

Anagramma V.

Diris cruentus ſpinis ab ardore Deo fauente ſanatus eſt.

Epigramma

VIdes vt innocentis hauſta ſanguinis
Fluenta inundant: vt niuales ſentibus
Benedictus artus pungit: integerrimi
Medicamen eſt amoris, vt ſtygius ruat.
DIRIS CRVENTVS ille qui SPINIS riget
AB impudico Cypriæ tandem Deæ
Ardore Benedictus, DEO SANATVS EST
FAVENTE. Diſce Lector hinc miracula:
Edax fouere qui ſolent incendium
Benedictus ignem Veneris extinxit rubis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

S. Bene-

S. Benedictus è Nurſia Monachorum Patriarcha

Anagramma VI.

Hic verum eſt iubar, Hic eſt adornans Coronam.

Epigramma

AVrea prò quantùm attonita lux fulgurat Aula
Aemula ſidereæ lux peregrina domus.
Ponite in hac veſtra ò Patres diademata luce,
Clarius haud Cœlo Gnoſſa Corona micat.
Gemmea nempe ſuis huc miſit ſcrinia ab oris
India, & hic Cœlo ſidera vulſa nitent.
Effluit à veſtro veſtra hæc ſed gloria Patre,
Qui princeps ſupero ſidus ab orbe venit.
HIC VERVM EST IVBAR, HIC & ADORNANS ipſe
CORONAM EST
Quis timeat nigram hoc Sole micante diem?

Ad Spinas S. Benedicti nunc Roſetum.

VT rigat innocuo Benedictus ſanguine vepres,
Mox dumeta vides arida ferre roſas.
Damnata hæc fuerant plectentis voce Tonantis
At meliora cruor pondera vocis habet.
Et facit, & dicit bene ſanguis; ad aſtra perorans
Virgine non referat præmia digna, Roſas?

Ad eaſdem

SAnguineis Cytherea notis inceſta coloret
Germina; Parthenio nam Roſa fonte rubet.
Impia nulla tuos violabit ſpina capillos,
Hæc tibi præcingat ſi Roſa Virgo caput.
Namque hæc Virgineo Benedicti è ſanguine ſurgens,
Et nata & genitrix Virginitatis erit.

Ad

Ad SS. Benedictum, & Scholaſticam in eodem tumulo.

CONtumulata iacet, BENEDICTE, SCHOLASTICA tecum
Magna Soror, frater non tamen ipſe minor.
Lumine par alter Phœbo, par altera Phœbe,
A quibus & noctes & nituere dies.
Vos eadem, vt pateat, meritò complectitur Vrna,
Et Solem & Lunam poſſe iacere ſimul.

S. Benedictus ſuæ Congregationi Caſsinenſi.

O Soboles dilecta Patri, dilecta Tonanti,
Militiæ in terris gloria prima Dei.
Cernere ſit magnum Regumque, Ducumque coronas
Suppoſitas noſtros ante iacere pedes.
Sit magnum æternos Caſſini nomen in annos,
Nomen & imperio Numinis ire meum.
Tu tamen æternos imple virtutibus annos
Vt facis; his ſolùm non datur interitus.

Congregatio Caſsinenſis Sanctiſsimo Parenti Benedicto.

NAſcitur à magno Princeps mihi gloria Patre,
Altera ab Heroum gloria fonte venit.
Nempe ſonat toto Benedicti nomen in orbe,
Totque Ducum toto nomina in orbe ſonant.
Noſtra etiam æternos Virtus radiabit in annos,
Si Pater optatum Sol dabis ipſe iubar.

Læuum Aulæ parietem ſeptem occupauerant Planetarum Imagines pro numero ſeptem Caſſinenſium Prouinciarum, quarum ſingulis ſuum reſpondebat Epigramma, præmiſso altero ad Lectorem, hoc ordine.

Digitized by Google

De ſeptem Caſsinenſis Cœli Planetis Ad Lectorem.

CErne Caſinenſem orbem quiſquis cernis olympum,
Orbis & hic Cœlum ſortè Caſinus erit.
Iam Lunæ, Soliſque, Iouiſque recurre coruſca
Et ſeptena nouo ſidera in orbe lege.
Carpe iter ad Cœlum hinc, tibi nam cœleſtis origo eſt;
Ad Cœlum inuitat quæ gerit Aſtra, Domus.

SATVRNVS

Planeta hic Sapientiam præſefert, quæ Reuerendiſſimis Patribus Prouinciæ Siculæ iure meritò tribuitur.

TV mihi primus eris Princeps Saturne Deorum,
Cui ſupero primus contigit orbe locus.
Te Regem expoſcit Proles Sicana Caſini,
Quam Natura tuum finxit ad ingenium.
Auſpicioque tuo miro dum robore præſtat,
Præſtat & ingenio lumine adulta tuo.
Quanta, Patres, igitur veſtra eſt Sapientia, quando
Hac Superum inſignes vos iubet eſſe Pater!

IVPITER

Planeta hic Religionem ingerit, quæ diuitijs reſpondet quarum Iupiter largitor eſt, & Reuerendiſſimis Patribus Prouinciæ Liguſticæ debetur.

TV quoque ſuccedes in noſtras Iuppiter Aedes,
Iuppiter ò Ligurum cincte ſatellitio.
Scilicet effuſis tu munera prodigis vlnis,
Queis arcam diues vena flagellat opum.

Interea

Interea cum iactet opes Ligus inclyta, Patres
Nonne etiam vobis hæ famulantur opes?
Sic planè, ſiquidem virtutum fœnore, veſtrum
Theſauro augetis vos meliore ſolum.

MARS

Huic Planetæ congruit fortitudo, quam mirum in modum exercent Reuerendiſſimi Patres Prouinciæ Longobardæ.

IVra ferente truci ſpiramus ferrea Marte,
Et Martem mundi machina tota ſonat.
Ipſa etiam natura edit certamine partus,
Diſcordi & concors partus ab arte venit.
Perpetuò hinc viuit generoſa Inſubria Marti,
Et Patriæ mores hi tenuere Patres.
Fortius haud alij certè (procul inuidus abſit)
Pro bella bellum Religione gerunt.

SOL

Hic Planeta ob honorum ac dignitatum ſplendores ſummos Romam decet, & Reuerendiſſimis Patribus Prouinciæ Romanæ æternum pollicetur imperium.

Signatur Cardinalis Franciſcus Barberinus.

MArgine cui gemino ſupplex ſe ſubijcit orbis,
Subijciat Romæ Turba Caſina caput.
Hanc beat ille Deus tenero cui pocula lactis,
Et cui iam grandi mella miniſtrat Apis.
Hanc beat ille hominum FRANCISCVS Iuppiter, orbem
Qui ſimul, & melius tecta Caſina beat.
Quando igitur Patres veſtra eſt Prouincia Roma,
Iam Romæ Imperium cedat in Empireum.

VENVS

VENVS

Ad hunc Planetam referenda ſunt oris elegantia animique candor, quæ Reuerendiſſimis Patribus Prouinciæ Neapolitanæ maximè congruunt.

NEc mihi quæ quinto memoraris in ordine, noſtro
Illaudata ibis carmine pulchra Venus.
A te nempe iuuat feſtiuos ducere mores,
A te etiam vultus candida forma venit.
Hinc natale ſolum, quod amœnior excitat aër,
Vos more inſignes format, & ore Patres.
Quæro tamen, Cordi os formam, an cor ſubijcit ori?
Vt libet, hoc certum eſt; fertis vtrumque decus.

MERCVRIVS

Ex hoc Planeta ſurgit Eloquentia, quæ in Reuerendiſſimis Patribus Prouinciæ Hetruſcæ ſpectatur.

Signatur Reuerendiſſimus P. D. Honoratus à Volaterris.

ELoquio facunde Deûm ales nuncie, ab alto
Aetheris hùc Hermes orbe vocatus ades.
Te ſibi facundà depoſcit Hetruria linguà
Cuius in ambroſio conſtitit ore lepos.
Teſtis HONORATVS tibi ſit præ millibus vnus,
Qui eloquio dulcis dulcior eſt animo.
Candida vis linguæ, vis huic mage lactea morum eſt;
Quid ni igitur tanto à nomine ſurgat Honos?

LVNA

Digitized by Google

LVNA

Lunæ vices Venetis tribuuntur, quia, & Ipſi ſtabili Vrbe in fluctuanti Salo conquieſcunt. Sic eius Prouinciæ Reuerendiſſimi Patres fluctuantem ſæpe Religionem ſtabiliuerunt.

VLtima cœleſti Venetis ſe fundat ab orbe
Luna, Adriæ magno iura datura mari.
Si fluctus creat ipſa, eadem dat ponere fluctus,
Et proprio pontum temperat arbitrio.
Hæc Veneti veſtræ miracula tollitis Vrbis,
Inſtabili vt poſſit firma ſedere ſalo.
In vobis etiam hæc Patres exempla coruſcant;
Firma etenim per vos hic quoque Relligio eſt.

D. Benedictus ab aſtris alloquens Patres addit ſeptem Prouincijs Octauam, hoc eſt, Empyreum Cœlum.

O Proles dilecta Patri, ſeptemplicis orbis
Sidera cui tantum celſa referre libet;
Quin etiam ſummi radioſa volumina Cœli
Pingitis, & rutili Regia tecta Dei?
Veſtibulo hic radiant Adamantum lumine Valuæ,
Amplaque magnificus culmina fulgor habet.
Aſpicite has ædes, vbi noſtrum millia cingunt
Natorum, & decies millia mille latus.
Viua hic Aſtra micant, neque Sol Cœlo excutit aſtra.
Nec ſubit occiduas Sol fugitiuus aquas.
Hæc vobis octaua aderit Prouincia Cœlo,
Ex hac Cœlicolæ hæc ſumite iuſſa Patris.
Cernitis, hi quanto me cingunt agmine nati?
Non niſi ab octaua hac gaudia ſede trahunt;

Hæc parat æternis conuiuia Regia menſis,
Et decora hæc vobis non moritura parat.
Sit vobis octaua igitur Prouincia Olympus
Anteit hæc omnes Numinis Aula plagas.

Conſequebatur duplex Epigramma, nimirum Congregationis Caſſinenſis ad Æternitatem, & Æternitatis ad Congregationem.

Congregatio Caſsinenſis Aeternitati.

SI tibi de tanto venit agmine gloria Patrum
(Forſan, & à Patribus non leuis illa venit)
Excipe ſeclorum Præſes gratantibus vlnis
Caſſini toto nomen in orbe ſonans.
Excipe; pro pretio te ſolam poſcimus omnes
Non alio capitur gloria noſtra ſinu.


Aeternitas Congregationi Caſsinenſi.

AEternos properate Patres decora inclyta in annos;
Veſtra hæc ſeclorum munera Præſes amat.
Inclyta ſi explerunt Heroum nomina faſtos,
Explebunt noſtros inclyta facta ſinus.
Digna quidem meritis me præmia poſcitis omnes;
Veſtrum ſola ingens hæc decus vlna capit.

Et quoniam Reuerendiſſimis tùm Præſidi totius Congregationis, cùm Viſitatoribus tàm nobilis debebatur locus, propterea hìc vtriſque triumphus inſtauratus fuit Elogio, & Epigrammate. Elogium à gentilitia Reuerendiſſimi P. D. Stephani à Mediolano Præſidis Turri Triumphum eidem præcinebat. Ex Epigrammate verò, quod à Pace, Congregationis Inſigni, petebatur, Reuerendiſſimi Viſitatores triumphabant.

Elogium

Elogium à Turri gentilitia Reu.mi P. D. Stephani Figini à Mediolano Generalis Præſidis excitatum.



Aſpicis hanc Hoſpes Turrim,
Radices ima tellure fixit
Caput Cœlo conterminum vexit.
Metuant aliæ fulmina Turres
Hæc amica Ioui eſt
Quia virtutum lauro præcingitur.
Hanc circumludere, non lædere quilibet poterit;
Nimirum animi conſtantis adamas
Non infirmatur ictibus, ſed formatur:
Clandeſtinis cuniculis ſi conetur euertere,
Apertis hiatibus vis ignea euaneſcet in auras;
Cor nempe STEPHANI FIGINI
Mille vndique patentes habet ad Cœlum vias.
Denique grandinare tormentis in eam licet;
Molem certè impenetrabilem
Glandes lambent, non illa glandibus lababit.
Sic ſemper ſtabit TVRRIS
Quæ pretioſo pro cæmento
Virtutes poſuit in ſtructuram.

Triumphus

Digitized by Google

Triumphus Reuerendiſsimis Viſitatoribus erectus;



I Rato æquoreas agitante Aquilone procellas
Alcyon ad littus prouida nidificat.
Dumque ſouet pullos implumes, æquora ponunt
Murmura, & undoſi ſiſtitur vnda maris.
Aſt agite, in vobis hæc ſint miracula Patres
Aſſiduum quorum PAX comitatur iter.
Alcyones eſtis, mare qui ne fortè Caſinum
Spumet, vbique piæ nidificatis Aues.
Hæc vobis igitur det PAX erecta triumphum,
Nam veſtra Soboles Pace Caſina viget.

E regione Suggeſtus, in interiori Ianuæ ſuperliminari duo ſuſpenſa erant Emblemata ad eos qui ad perfectionem feruntur, quibus ſuppoſita fuerunt Epigrammata, Emblema diſtinctius explicantia. Primum, ſericum Bombycis globum exprimebat, è quo Bombyx ipſe è vermiculo ales erumpebat.



Bombycis

Digitized by Google

BOmbycis labor aſſiduus, quo ſerica fila
Parturit, vt texto è carcere ſurgat auis;
Pectoris eſt Cœlum pulcherrima amantis imago,
Nam gemit, & ſudat donec ad aſtra volat.

Alterum, Fabrum tornarium tornando ligno intentum proponebat.



TOrnandum fruſtra lignum faber adijcit arti
Ni manibus celeres addat & ille pedes.
Impatienſque moræ fit opus, quod retrò recurrit
Si mota vlterius deſinat ire rota.
Hoc Monache euades, mihi crede, imitamine ſummus;
Sola etenim Virtus neſcit habere moram.

Latera ornabant quatuor heroica ſymbola, Impreſiæ vulgo.

Primum Symbolum Solem vſtorium ſpeculum ferientem, acutoque radio lignorum faſciculum incendentem repræſentabat, addita epigraphe. VNVS ET MVLTIPLEX. Senſus erat. Ignem diuini amoris, qui B. Benedicti exarſit in corde, tranſmiſſum in filios, per eoſdem vniuerſum orbem incendere.

In ſecundo Sol erat expreſſus nubibus obuelatus, qui vt adeſſe noſceretur, ex altera tantùm ora radios aliquos exhibebat apertos. Epigraphes hæc erant verba. TEGITVR NON TOLLITVR. Innuebat Nigrorum Congregationem Monachorum ſanctitatis ſolem nigris veſtibus incluſum geſtare.

Eumdem referebat ſenſum tertium Symbolum, vbi Laterna vndique clauſa exprimebatur, ſed ex ipſius vertice tenuis lucis radius emergebat, vt lumen intus adeſſe noſceretur, cum inſcriptione. ET LATET, ET LVCET.

In quarto Symbolo Manus aderat lilium colligens inter ſpinas expreſſum, quæ ſanguinem inflictis puncturis emittebat. Ad epigraphem hoc additum eſt. DVMMODO COLLIGAM. S. Benedictum indicabat, qui ad colligendum caſtitatis lilium ſeipſum vltrò dumis inuoluit.

Digitized by Google

Xyſti verò ab hac Aula proſtantis parietes quatuor ambulationibus diſtincti gentilia Reuerendiſſimorum Abbatum ſtemmata, ordine eorum profeſſionis diſpoſita, ſubiecto ad imam oram in peculiaria Abbatum nomina petito à gemmis anagrammate, ac mox ad illa explicanda ſuppoſito Epigrammate, proponebant. Placuit à Gemmarum nominibus Anagrammata ducere, vt gemmea ante Reuerendiſſimi Præſidis Thronum Corona formaretur. Cui Sanctiſſimi P. Benedicti, ac Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris acceſſu, pretium deinde accederet carum ſimul & rarum. Series hæc operis fuit.

Stemma Reu.[mi] P. D. Stephani Figini Mediolanenſis Generalis Præſidis, & Abbatis Sacri Monaſterij Sublacenſis.



COnſpirate licet rapidi facto agmine venti,
Irruite, haud Turris flamina veſtra timet.
Flamina non altos poterunt penetrare receſſus,
Arcano quo ſunt omnia tuta loco.
Vos etiam molis peruadite viſcera flammæ,
Extinguent flammas protinus ora Ducis.
Eſto tamen, venti, ac flammæ reliqua omnia vincant:
Cor STEPHANI certè ſternere non poterunt.

Reu.

R.^mus^ P. D. Stephanus Figinus Mediolanenſis

Thronus

Anagramma

Magnus in Thronis dum ſedes, ſis plane pius.

Epigramma

DVM MAGNVS FIGINE *SEDES Patrum agmine cinctus,*
Prodis & IN celſis os, animumque THRONIS:
FIS PLANE virtute PIVS, vultuque modeſto
Egregium præfers abſque tumore decus.
Quàm tibi rara animi ſit virtus, collige ab vno
Ipſe tumens tuo ineſt ore modeſtus honos.

Stephanus Figinus à Mediolano

Adamas

Anagramma

Veni Adamas fulgens; typi honos.


Epigramma

HVc FIGINE *VENI TYPI HONOS, pretioſior aſtris;*
Huc ADAMAS FVLGENS ad tua ſerta veni.
Primus ades, princeps & noſtram necte Coronam
Gemmarum Regem ſic Adamanta decet.
Gemmarum interea Soboles famulantis ad inſtar
Ceu par eſt, Regem cinge ſatellitio.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Syluij Stellæ Brixienſis Abbatis SS. Felicis & Fortunati Vincentiæ.



QVantus es ô SYLVI; tua te bene Stemmata pingunt,
Lilia cui parent, ſidera, & vnda maris.
Si voces fundas, ſpirant noua lilia voces
Lilia nata animi de integritate tui.
Amne tibi vitreo currunt Permeſſidos Vndæ,
Nec Mare gemmatum hoc nouit amaritiem.
Omina quin etiam ſurgunt de ſidere Cœli
Nempe inter tua tu Sidera Phœbus ades.

Syluius Stella Brixienſis

Onyx

Anagramma

Onyx es; ſalue, ibis illuſtris.

Epigramma

IVre ES ONYX SYLVI; *nigri hæc eſt gemma coloris,*
Sed gemmæ pretium nobile nigror habet.
Candicat hinc venis, rutiloque coruſcat ab igne,
Et pretioſa in te fert monumenta tui.
SALVE igitur, ſi nigra es onyx, quia temnis honores;
Quandoquidem corde es candidus, alba es onyx.
Perge Pater; Gemma ILLVSTRIS quando IBIS in aſtra
In Candore nigror tunc tibi nullus erit.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Placidi de Turcis à S.Ioanne Marignano Abbatis S. Mariæ Cæſenæ.



NOn potis eſt Arcus volucres vibrare ſagittas
Ni Gethicâ neruum tendat ab arte manus.
Nec quæ pertingit metam laudanda ſagitta eſt,
Sed mage librantis laus erit illa manus.
Arcanum, PLACIDE, agnoui quod ſtemma figurat:
Collimare tuum ſigna ferire docet.

Placidus de Turcis de Sancto Ioanne Marignano

Cepites

Anagramma


En candida ſigno Cepites, ſua dat lumina Coronae:

Epigramma

EN SVA CEPITES DAT LVMINA CANDIDA SIGNO
Cui ſignum eſt Candor, quàm bene ſtemma micat
Noſtræ igitur pretium fer magnum, TVRCE, *Coronæ;*
Nam ſola integritas candida te peperit.

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Placidi Mancij Peruſini Abbatis S. Petri Aſsiſij



CLara iubet fauſtos tibi Luna recurrere ſoles,
Stemmate quæ in patrio fundit ab ore iubar.
Quòd ſibi ſi ſocium iunxit tua Luna Cometem;
Hinc, PLACIDE, infauſtum non tamen omen habes.
Terreat impoſitus ſceleratos crine Cometes:
Auſpicium felix, cum tibi ſeruit, habet.

Placidus Mancius de Peruſio

Perileucos

Anagramma

Pius, candida ſum Perileucos.


Epigramma

ASt Ego SVM è gemmis PERILEVCOS CANDIDA, (in oram
Linea quando meo candida ab ore fluit.
Sic PIVS in gemmam vertor; miracula tanta
Ne dubites; Pietas gemmea nempe mihi eſt.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Vincentij Sgualdi Placentini
Abbatis S. Vitalis Rauennæ.



STemma tibi eſt claro cum ſidere Luna bicornis,
Nox quorum nitido lumine ſparſa micat.
Es tu Stella, tui ſunt Luna bicornis honores:
Fixa illa eſt, creſcet ſemper at iſta magis.

Vincentius Sgualdus a Placentia

Vnio *Anagramma*

Palladis genus, vnus tiarae vnio.

Epigramma

VNio te deceat, VINCENTI; *candida Pallas*
Quem genuit; certè es PALLADIS *ipſe* GENVS.
Vnio, cui tantùm non candor pallidus ore eſt;
Nix etenim pallet candida, pallet ebur.
Palladis ipſe Genus, quem non bibis ore nitorem!
Huius te fluuius non maris vnda lauat.
Hinc (credo) felix non palles Pallade natus
Virgineo tibi quæ pocula lacte dedit.
VNIO ſic niueus ſis VNVS Sgualde TIARAE,
Siſque mitræ viuax candor, & vnus honor.

Vincentius

Digitized by Google

Vincentius Sgualdus

Anagramma

Decus ſignas in vultu.

Epigramma

Alluditur ad gentile ipſius Stemma.

SGualde DECVS SIGNAS IN VVLTV, cedite olympi
Fulgida nocturni ſidera Luna, decus.
Stemma tuum noctem VINCENTI *pingit, at oris*
Sole refers nitidi clarior ipſe diem.

Stemma Reu.[mi] P. D. Iulij de Regibus Mediolanenſis Abbatis S. Petri in Glaſsiate.



NOmina ſi voluam, trahis illa à Regibus. Ales
Eſt etiam, IVLI, Regis amica Iouis.
Regia, quam pingis mediam, nitet inde Corona;
SIDERE quin IVLI Regis & omen habes.
Vaſa etiam quid ni magnis ſint Regibus apta,
Cum Regum deceant aurea Vaſa domos!
Hæc igitur mirer? renuo: tot ſcilicet inter
Regia; ſplendidior mens tibi Cæſarea eſt.

Iulius

Digitized by Google

Iulius de Regibus Mediolanen.

Carbunculus

Anagramma

Carbunculus Dei es, dilige omen.

Epigramma

PVrpurat oppoſitis rutilus Carbunculus vmbris;
Nec minus in pluuio flammeus aere nitet.
Par iubar eſt ſoli, ſoli ſi opponitur; atris
Quin etiam tenebris fulgidus vſque micat.
Quantum ſolis habes IVLI*! CARBVNCVLVS ipſe es*
Nempe DEI; æthérius cui iubar addit Amor.
Hinc perge, ò felix, ac DILIGE diſcolor OMEN
Nam radijs Irim vel ſine nube facis.

Stemma Reu.[mi] P. D. Horatij Barbiſoni Brixienſis Abbatis S. Iuſtinæ Patauij.



Omen.

BARBISONE Heros, cui eſt pro ſtemmate Pardus
Naturæ artifici pictus vbique manu.
Anne ſuo quando ille feras inuitat odore,
Te, qui homines animi ducis odore, refert?
An ſua multiplici diſtinctus membra colore
Virtutis prodit plurima ſigna tuæ?

Digitized by Google

Anne tibi idcirco ferus ille inſignia format
Quòd ſuperat curſu præpetiore feras?
Hoc puto: currentem ſed quàm decora alta morantur?
Primus in hoc ſtadio ad præmia primus eris.

Horatius Barbiſonus Brixienſis

Iris *Anagramma*

Iris ex nubibus ſubis, honor tiarae.

Epigramma

QValis, vbi aduerſus Sol nubem luce flagellat,
Roratis radiat concolor Iris aquas;
Talis & ipſe SVBIS, ceu clara ex NVBIBVS IRIS:
Nempe TIARAE vt HONOR ſis, rutilumque decus.
Illa ſed haud pleno complectitur aëra gyro;
Te noſtro manet ex agmine plenus honor.

Stemma Reu.mi P. D. Laurentij Carboni Genuenſis Abbatis S. Hieronymi Siluariæ.



PVgnandum eſt baculo: Leo cur fert nobilis vngue
Lignum, Cognomen ni trahis inde tuum?
An trahis, è ligno quia Carbo ducitur vſto?
At niger in ſe quæ lumina Carbo gerit?

Lumen

Lumen habet; nam Carbo fouet flammam, illa nitorem;
Sic tu atro celas tegmine Cor rutilum.

Laurentius Carbonus Genuenſis

Belus

Anagramma


Nonne tu ſacris Belus aurea viges.

Epigramma

Belus propter ſuam ſpeciem aureo fulgore lucentem ſacratiſſimo Aſsyriorum Deo dicatur. Plin. lib. 37. cap. 10.

AVREA BELVS adeſt, ſpecie hac ſibi plaudit Olympus.
Hæc TV NONNE SACRIS aurea gemma VIGES?
Dona Deo Aſſyriũs patrio det gemmea, Belum;
Tu melior vero gemma ſacranda Deo es.
Macte animo, ætherio qui donas Corda Tonanti
Sacra Deo gemma ex æthere Belus eris.

Stemma Reu.mi P. D. Hieronymi Spinelli Patauini Abbatis S. Flauiæ.



A Spinis ductum, SPINELLE, hoc ſtemma relinque,
Cui licet ætherio ſtemmate poſſe frui.
Et pro dumetis melius tibi pinge decentes

Quæ

Digitized by Google

Quæ tibi præcingant tempus vtrumque roſas.
Liliaque & violas, & purpureos hyacinthos,
Quemque alit halantem Flora beata gregem.
Erraui: Te ſpina decet: iam ſpicula torque;
Tela roſæ vibrant, fulmina & aſtra rotant.

Hieronymus de Spinellis Patauinus

Pyrites


Anagramma

Pyrites ſum, an vilis hinc ſplendeo?

Epigramma

SVm ſplendoris amans, lucem mea nomina fundunt;
Nec potis eſt in me ſordibus eſſe locus.
PYRITES SVM, VILIS AN HINC ego SPLENDEO?
Haud vllum gemmæ dedecus ore ſedet. (*certè*
Integra ſplendeſcit; digitos, ſi frangis, adurit.
Atque vtraque hæc animi ſunt monumenta mei.

Stemma Reu.mi P. D. Benedicti de Caſtellis Brixienſis Abbatis SS. Benedicti & Aloyſij.



QVid cum Marte tibi, cui propugnacula Martis
Ac ſi bella coquas pectore, ſtemma parat?
Patria cur melius non tantùm lilia pingis

Cui

Digitized by Google

Cui roſeo pacis purpura in ore ſedet?
Anne tuas Pallas bellatrix inſidet arces,
Et te Palladia in prælia ab arce vocat?
Hoc reor; ex bello hoc ſiquidem Pax aurea ſurgit.
Rubra hinc belligero lilia ſerta parant.

Benedictus de Caſtellis à Brixia

Sidus


Anagramma

Bis excellens ſidus tiarae addit:

Epigramma

B*IS rara EXCELLENS* BENEDICTVS *laude TIARAE*
SIDVS ab ætherijs ADDIT & ipſe plagis.
Sidus inocciduum, cui cœlica ſemper ab ore
Lux micat, & nulla nocte ſepulta cadit.
Ne te Caſſinum metuat viuente tenebras;
Eſſe meram ſemper nam facis ipſe diem.

Stemma Reu.mi P. D. Victorij Speroni ab Imola Abbatis S. Proculi Bononiæ.



A*Rmiger è Cœlo triplex tibi militat Ales,*
Aetherio qui fert tela triſulca Ioui.

Digitized by Google

Qualis erit ſparſo tibi iam Victoria mundo,
Si ſummo armigerum cum Ioue fortis habes?
Ergo age, VICTORI, Cœlo terriſque potire:
Virtuti in toto eſt peruius orbe locus.
Aligerùm pennis totum luſtrabis olympum,
Aligerùmque armis victus olympus erit.
Si placeat mundi ſuper ardua culmina curſus
Vt citius properes Ocrea calcar habet.

Victorius Speronus ab Imola

Iubar *Anagramma*

O Vir almus: Iubar Coronis eſt.


Epigramma

VIdes, vt ore de coruſco fulgurat
Virtus micans Victorij: vt nunquam tegit
Radios tenebris: nempe Phœbeum iubar
Aut nube merſum, aut occidens quotidie
Meliore fato vincit: ergo plauſibus
Miſcere nomine carmen expreſſum libet:
O VIR profecto ALMVS: CORONIS EST IVBAR.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Alexandri Anſelmi de Spinulis Genuenſis Abbatis S. Benigni Genuæ.



QVæ Cœlum, quæ terra gerit, ſunt omnia ludus;
Quin etiam ludi nomina Pallas amat.
Scilicet ingenij penetrantis acumine ludit
Qui ſapiens rerum clarius ima videt.
Hæc tù cuncta tuo gentili in ſtemmate adumbras,
Dum ludi ſignum, dum terebramque geris.
Cur Aquilam verò bis addis? quia ludere doctus
Palladios ludos penniger aſtra petis.

Alexander Anſelmus de Spinulis a Genua

Galaxia *Anagramma*

Sanè Galaxia ſum, verè ſplendida venis.

Epigramma

E Cruce de venis Deus vt referaret amorem,
Cum pluuio, ò mirum, ſanguine fudit aquam.
Signa etiam in terris vtriuſque GALAXIA præfert
Splendida nam venis candicat, atque rubet.
SVM SANE hæc Gemma, & VERE ſum SPLENDIDA
Cui vnus Ieſu lumina præbet amor. *(VENIS*

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Laurentij de Noris Veneti Abbatis S. Andreæ Buſchi.



AEquoreas Phryxus ſe ſe immiſſurus in vndas,
Nauita remigio callidus aptat Ouem.
Cinthius ætherio dum tramite fertur, eidem
Inſidet, vt vernos imperet ire dies.
Sed Phryxea tuæ, LAVRENS, quam cerno Carinas
Ducentem, aurato vellere cedat Ouis.
A te etenim tua Ouis diſcrimina diſtinet, inter
Et dubias tuto tramite ducit aquas.
Quin Phryxea tua eſt, quam Iuppiter addidit aſtris,
Nunc Ioue dante, tibi ex æthere venit Ouis.

Laurentius de Noris Venetus

Orites *Anagramma*

Viue, en rotunda luces Orites.

Epigramma

EN ORITES Gemma ROTVNDA luces:
VIVE; ſi læuem decet eſſe gemmam
Nullus hic errans vitiat rotundum
Angulus orbem.

Stemma

Digitized by Google

Stemma R.mi P. D. Zaccariæ Chiuccarelli Neapolitani Abbatis S. Laurentij Auerſæ.



ANcipitis vultus fortunæ, lilia, monteſ
Omnia ſunt patrio in ſtemmate imago tui.
Porrigit obiectus occaſio dextra capillos,
Quos tua iam nouit ſtringere cauta manus.
Lilia candorem pingunt, faſtigia montis
Te affinem ſuperis ædibus eſſe docent.

Zaccarias Chiuccarellus Neapolitanus

Topazius


Anagramma

Clara, in hac luce, Coeli naſceris Topazius.

Epigramma

GLoria te poſcit gemmarum clara Topazus
Vnde ſibi Arſinoe ſigna ſuperba tulit.
Vna hæc gemma adamat limam, cotemque repellit;
Non alia ad ferrum gemma dolanda venit.
Ad limam te perge, Pater, componere; in aſtra
Nam vehitur terris gemma dolata prius.
Tu COELI CLARA, HAC IN LVCE TOPAZIVS al-
Naſceris, vt gemma hac axe Coloſſus oues. (mus

Stemma Reu.mi P. D. Iulij de Vecchionibus à Caſtello Abbatis S. Benedicti Varræ.



ASTris cur flores, cur ſidera floribus addis
Dum patriæ pingis nobile ſtemma domus?
Sidera ſunt Cœli flores, ſunt lilia terræ
Sidera, labe carens, lacteolumque genus.
Carpe viam hoc Calle ad ſuperùm, ſato auſpice, regnum;
Dandum eſt innocuo non niſi lactis iter.

Iulius de Vecchionibus a Caſtello

Selenites *Anagramma*

Clara hic vobis, luce viuo Selenites.

Epigramma


Selenites ex candido tranſlucet melleo fulgore, imaginem Lunæ continens, redditque eam in dies ſingulos creſcentis minuentiſque numero. Plin.

CAndida gemma mico, clari inſtar fulgida mellis
Atque SELENITES nomine VIVO meis.
CLARA HIC LVCE adſum VOBIS, & munere Lunæ
Decreſco ſimul & creſco iuuando meos.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Victorini Schirilli Neapolitani Abbatis Sanctiſsimæ Trinitatis Cauæ.



ARdua inacceſſis, quæ montibus eminet Arbor
Impatiens humili victa iacere ſolo,
Et ſuperimpoſitis aſtris contermina Cœlum
Verberat; ò quantum fert, Pater, auſpicium!
Quæ tibi nempe fauet, ſemper VICTORIA tuta eſt.
Ardua non hominum pugnat in aſtra manus.

Victorinus Schirillus a Neapoli

Acopis

Anagramma

Illuſtris Acopis hic luceo in auro.

Epigramma


Acopis aureis guttis ſtellata. cum hac oleum ſubferuefactum perunctis laſſitudinem ſoluit. Plin.

HIC ACOPIS felix ILLVSTRIS LVCEO IN AV-RO.
Omina ſed rident iam meliora mihi.
Aurea ſtellatis Acopis micat aurea venis;
Et mihi ſiderei vena nitoris adeſt.
Illa oleo permixta leuat gemma inclyta laſſos;
Ne Cor laſſeſcat dos peregrina mei eſt.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Pauli Camilli de Caſatis Placentini Abbatis S. Petri Mutinæ.



SI Turrim PAVLE aſpicio, quid firmius illa eſt?
Si crines, tenue nil magis eſſe poteſt.
Cum volucres Turri iungas tamen ipſe capillos,
Noſco quid arcani fœdera tanta ferant.
Virtutem Turri, mentem crine exprimis; aſtra
Vt petat, à Turri mens tua ſumit opem.

Paulus Camillus de Caſatis Placentinus

Lapillus Indus

Anagramma

Luce micans, indus, at carus pates Lapillus.


Epigramma

LVCE, CASATE, MICANS, INDVS, mihi crede, LAPILLVS
Ipſe PATES; tua ſed nomine Gemma caret.
Iure caret, pretium cum nemo pendere gemmæ
Quæ radijs prohibent lumina, iure queat.
Sic olim attonitus pluuiam dum ſuſpicit eſcam
Hæbreus, neſcit nomina ferre cibo.
Fallor, nomen habes; Lapis indus, CARVS AT ipſe es
Nec Caro nomen pulchrius eſſe poteſt.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Honorati Arcelli Placentini Abbatis S. Sixti Placentiæ.



QVæ ſeritas inamœna pio de ſtemmate prodit
    Iuncta vbi ſunt gladius, Crux, rabiduſque Leo?
Si Cruce tranquillæ geſtas inſignia pacis
    Nec Leo, nec gladius fœdera pacis amant.
Ferrea ſed quoniam debellant arma ſuperbos,
    Lædere ſubiectos nec ſolet ore Leo;
Sic tu ſubiectis parcis, frangiſque rebelles,
    Perpetuuſque tui eſt hinc amor, inde timor.

Honoratus de Arcellis Placentinus

Amphitane

Anagramma

Luce illuſtris Deo naſcor Amphitane.

Epigramma


Amphitane inuenitur auro ſimilis, quadrata figura, natura eius quæ magnetis, niſi quòd trahere quoque aurum dicitur. Plin.

AMPHITANE ILLVSTRIS pretioſa LVCE coruſco
*   NASCOR gemmiſera è prole dicanda DEO.*
Arcana virtute traho Magnetis ad inſtar,
*   Formaque quadrato in corpore pulchra ſedet.*
Magneti ſimilis, magnetis munera vinco:
*   Ferrum ille, aſt aurum pulchrius ipſe traho.*

N   Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.^mi P. D. Angeli de Dominicis Florentini Abbatis SS. Floræ & Lucillæ Aretij.



SCindere prima Ceres docuit nos viſcera terræ,
Spiceaque omiſſa munera glande dedit.
ANGELE fœcundos peraraſti Palladis hortos,
Donaque de cultu meſſuit inde manus.
Viciſti Cererem; paſtu dedit illa, ſed ipſe
A Brutis alia viuere mente doces.

Angelus è Dominicis Florentinus

Lapis ignis

Anagramma


En Lapis ignis, noto lumine decorus.

Epigramma

EST Lapis ardenti nomen qui ducit ab igne,
Sed fama notus dicitur eſſe latens.
At quì ignis lateat? NOTO Lapis ipſe DECORUS
LUMINE collucens, EN LAPIS IGNIS ades.

Stemma

Stemma R.mi P. D. Hermagoræ de Baſſadellis Patauini Abbatis S. Pauli Argon.



QVantus inacceſſo ſinuatur ſidere Callis
Lacteus, & nitet ex æthere pompa minor.
Tanta tibi triplex gentili hoc ſtemmate fulget
Faſcia, quæ campo flectitur in niueo.
Cæruleos etenim & niueos dum cerno colores,
Dum callem ſinuat faſcia, cerno polum.
Iam cœleſte tibi cum det ſapientia pectus
Calle alio pergi nobiliore nequit.

Hermagoras de Baſſadellis Patauinus

Margarita *Anagramma*


Viſas, Margarita ſplendens habeo laudes.

Epigramma

QVæ fœta Cœli rore ſplendeſcit mari
Læui orbe Margarita, concha pronuba,
Aethere marito, fulgidum iactat genus.
Et ipſe VISAS HABEO nunc LAVDES, nouo
SPLENDENS nitore MARGARITA; ſcilicet
In pectus vnde mihi animus venit, gradu
Celſa citato in aſtra ſublimis volat.

Stemma

Stemma Reu.^mi P. D. Bartholomæi de Bottis Papienſis Abbatis S. Columbani Bobij.



SCandere iam doctus Iouis Ales nuncius aſtra
Nititur has idem nunc remeare plagas.
Auguror; hæc eſt certa tuæ virtutis imago,
Quæ tibi gentili in ſtemmate picta nitet.
Scilicet ille poteſt ſuper æthera figere greſſus,
Quem ſcelerum haud retinet flebile pondus humi.

Bartholomaeus de Bottis Papienſis

Baptes

Anagramma

Hic vt Baptes odore pleniſsima ſtabo.

Epigramma

GLoria ſit ſocijs diffundere lumina gemmis;
In me ſed melius ſuauior halat odor.
HIC ergo VT BAPTES STABO PLENISSIMA ODO-
Haud fallax color eſt, cui ſociatur odor. (RE

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Ambroſij Maggij Cremonenſis Abbatis S. Benedicti Ferrariæ.



ILle Coturnicem qui corripit vnguibus Aſtur,
Virtutis præfert num ſimulacra tuæ?
Non etenim generoſa volat ſublime Coturnix;
Verùm cœnoſæ eſt pigra paludis amans.
Quid tandem? ſegnis notat Ales ventris amantes;
Et tu iure quidem hos Aſturis vngue feris.

Ambroſius Maggius Cremonen.


Gemma *Anagramma*

Vir bis magnus, coronae gemma.

Epigramma

BIS MAGNVS VIR es, ò MAGGI, *inclyta GEMMA CORONAE,*
Ingenitum rutilo quæ vibrat ore iubar.
Bis magnus, ſiquidem bis maxima munera obiſti,
Gemma etiam, quando vultu, animoque nites.
Multò etiam maior, multoquè nitentior ipſe es,
Quòd te nec Magnum, nec nitidum eſſe putas.

Stemma Reu.^mi P. D. Angeli Merendellæ Veneti Abbatis S. Criſogoni Iadræ.



STemma tibi patrium cur littera græca figurat
ANGELE? quid græcum denique Zeta docet?
Fortè per antiphraſim tua ſunt inſignia: certè
Littera ſi græca eſt, non tibi græca fides.

In idem Stemma

ANGELE, quòd ſuperi zelaris amore Tonantis,
Zeli prima tuo in ſtemmate picta nota eſt.
Igneus eſt zelus, zelique amor æſtuat igne;
Et te Zeta tuum hoc igne flagrare docet.

Angelus Merendella Venetus

Argentum *Anagramma*


En argentum laeue ludens es.

Epigramma

OS tibi laeue nitet, Cor laeuius enitet intus:
Et laeue argentum voce liquare vales.
EN LAEVE ARGENTVM ES; cur LVDENS adde-(ris? anne
Lumina tu ludis, lumine dum radias?
Sic lude, haud illudes; ludit quod micat omne;
Ludit & argento noſtra Corona tuo.

Stemma

Stẽma R.mi P.D.Io:Baptiſtæ de Squillante Neapolitani Abbatis S. Mariæ Andriæ.



ANcolit hos Cœli triplices ſapientia montes,
Quà breuius volet ad ſidera mentis iter?
Fallor. at in montes è Cœlo labitur aſtrum,
Sidere quo, inuitat culmina adire labor.
Tu tamen haud timeas ventorum flamina, quando
Fauſtis iam ſcandis culmina ſideribus.

Ioannes Baptiſta de Squillante Neapolitanus

Apſyctos *Anagramma*

Salue Apſyctos nobilis; laeta in te innata pande.


Epigramma

Apſyctos ſeptenis diebus calorem tenet exalſacta igni. Plin.

NOBILIS APSYCTOS fauſto ter nomine SALVE
PANDE IN TE INNATA munera LAETA
Sentio. Septenis ardet tua Gemma diebus, (precor.
Si prius admotis ignibus illa calet.
Quid vero? an fuerit tua Cordis flamma perennis,
Septenus ſignet ſæcula cum numerus?

Stemma

Stemma Reu.mi P. D. Andreæ de Mancuſo à Meſſana Abbatis S. Saluatoris Papiæ.



QVæ terras Aſtræa olim indignata relictas
Fugerat ad Cœlum proxima Virgo libræ;
Aſpice quà rutilam tibi præparat arte Coronam,
Cui magnum explerunt aurea iura caput.
Stemma tibi auſpicium fecit, tibi prodidit Aſtra,
Quæ meritum ambirent ter venerata caput.
Cum vibrare manu tam iuſtè ſciueris enſem
An non de Aſtræa danda corona tibi eſt?

Diſtichon

DEſuper aſtra micant, infra ſed dimicat enſis;
Scilicet hic fortem nunciat, illa pium.

Andreas de Mancuſo à Meſſana

Adamas *Anagramma*

Coronae ſanè decus, nam Adamas.

Epigramma

ANne tibi finxit gemmans ſapientia pectus
Andrea, cui tam gemmeus eſt animus?
Non Adamas rutilo clauſus ſic fulget in auro,
Virtus quanta tuo in corde modeſta nitet.
Nomina quin ipſa effulgent adamante; CORONAE
Hinc SANE, NAM ADAMAS, crederis eſſe DECVS.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.^mi P. D. Iuliani Violæ Patauini Abbatis SS. Nazarij & Celſi Veronæ.



CVm reliquum ex humili pecus herbà paſcua carpat,
Paſcua ſublimi è vertice Capra rapit.
Argumenta Pij gentili in ſtemmate pingis,
Menſà qui ſolum paſcitur ætheria.
Neu dubitet quiſquam, labarum Crucis adijcis: eſcas
De triplici menſa hæc ſuggerit vna Pijs.

Iulianus de Violis Paduanus

Ion *Anagramma*

En viuis Lapis Ion laudandus.

Epigramma

Ion apud Indos violacea eſt, rarò ſaturo colore lucet, ſed quæ talis inuenitur in maximo prætio eſt. Plin.

PRomit Ion violæ pallentem gemma colorem,
At rarò ingenito plena colore micat.
Negligat hanc quiſquam; LAPIS EN LAVDANDVS at
VIVIS ION plenus de lumine de VIOLIS. *(ipſe*

Stemma Reu.mi P. D. Franciſci Caetani Catanenſis Abbatis S. Nicolai Catanæ.



IVre tibi pingit gentilia ſtemmata zona
Scilicet hoc primum ex æthere munus habes.
Diuidit armigeras Iouis hinc tua zona volucres;
Diuiſum imperium cum Ioue nempe tibi eſt.
Sed cur non geſtant roſtris fera ſpicula? nam tu
Pacis non belli cum Ioue regna geris.

Franciſcus Caetanus Catanenſis

Catena aurea

Anagramma

Natus (nunc ſcis) aurea ſis catena.


Epigramma

QVantus es eloquio, ò quantus FRANCISCE! *CATENA*
NATVS enim (NVNC SCIS) AVREA FIS, vt oues.
Accipe nunc igitur plauſus, paeana, triumphos,
Cui faſces cedit Gallicus eloquij.
Ille etenim mira ſi nexuit arte catenas,
Vincula natura tu fabricante facis.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.^mi P. D. Claudij de Benedictis à Verona Abbatis S. Euphemiæ Brixiæ.



STemmate in excelſo, velut æthere, ſidera geſtas;
Et Leo ſubiectus ſe gerit aſtrologum.
Inſpectat radios, arcanaque diſcit ab aſtro,
Cui docile ingenium lux iubet eſſe feræ.
Ambigat haud vllus cæleſtem hunc eſſe Leonem,
Cui placet ætheria non niſi luce frui.

Claudius de Benedictis a Verona

Bacca

Anagramma

En, ſi velis, Bacca dicor; tu ne adde.

Epigramma

GErminat enodis, quam Concha dat æquore, Bacca;
Hæc etenim Baccæ eſt dos opulenta mari.
EN Ego, SI ipſe VELIS, BACCA hinc iam conchea DI-
Hæc dare ſi renuis nomina, Bacca dicor. (COR,
Nempe Deo pridem ſum Relligione dicatus,
Enodi vt diſtent crimina corde procul.
Inde mihi hoc gemmæ nomen (TV NE ADDE) cupitum eſt;
Bacca ego ni ſuero, Gemma nec vlla placet.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Leonis Pauonij Tudertini Abbatis S. Petri Peruſij.



NOn tot habet pennis Volucris Iunonia luces,
Pectore virtutum quot decora ipſe geris.
Natiuo virtus licet omnis fulguret auro;
In te, PAVONI, clarius illa nitet.
Non tamen illa ſatis te, PAVONI, exprimit Ales;
Fœda illa eſt pedibus, totus at ipſe nites.

Leo Pauonius Tudertinus

Valor in opibus

Anagramma

Tu decus, et valor in opibus.

Epigramma

SIue tui cernam, LEO*, cœlica lumina vultus,*
Inſtar flammantis lumina ſolis habes.
Siue tuæ pretium pendam virtutis, IN ipſis
Congeſtis OPIBVS TV DECVS ET VALOR es.
Quis te igitur gemmam noſtræ ambigat eſſe Coronæ,
In te ſi pretium ſi, LEO*, fulgor adeſt?*

Reue-

Digitized by Google

Reuerendiſsimus Pater Domnus Leo Pauonius à Tuderto Abbas Sancti Petri Auguſtae Ciuitatis Peruſiae Congregationis Caſinenſis


Anagramma

Soſpite prudentia tua Vir egregie, omnia ſecunda contingent; ideo vt tibi viuas, ac ſanus ſis nobis, pro ſeria ſalute tua precamur.

Epigramma

ABite quotquot eſtis infortunia,
Nigerrimique ſortis atræ calculi;
EGREGIE nempe VIR, TVA PRVDENTIA
SOSPITE, SECVNDA in noſtra ſæcula OMNIA
Vt video CONTINGET: perire nil poteſt
Virtute clypeat quod ſua PAVONIVS.
IDEO VT TIBI annos Neſtoris VIVAS LEO.
AC viribus SIS integris NOBIS DIV
Cœlo annuente SANVS: hic PRO SERIA
TVA SALVTE in vota fuſi ſupplices
PRECAMVR omnes; vota fortunet Deus.
Vigere noſtra non Beatitas nequit,
Cor ſi vigebit omnium PAVONIVS.

Stemma Reu.[mi] P.D.Honorati Falconcini à Volaterris Abbatis S. Mariæ Florentiæ.



FALCONCINE Heros, qui nunc virtutibus imples
Et ſtemma, & ductum nobile nomen Auo.
Aggredere in montes, vulgares deſere terras;
Nimirum Cœlo proxima palma tua eſt.
Natiuis hinc ſe ſundit ſapientia ab ASTRIS,
Et decor in merito vertice quantus erit!
Quilibet imbelles prædetur FALCO volucres;
Iam Falconis erunt ſidera præda tui.

Honoratus de Falconcinis à Volaterris

Achates *Anagramma*


Achate fio illuſtrior, non vanus decor.

Epigramma

QVilibet in nitido fruſtra dehinc quæret Achate
Numen Apollineum, Pieridumque Chorum.
Si libet, in me Parnaſſi iam ſinge theatrum;
NON DECOR hinc in me VANVS Achatis erit.
Quin etiam FIO vel ACHATE ILLVSRIOR ipſo;
Nempe hoc virtutis nobile prodigium eſt.

Stemma

Stemma Reu.mi P. D. Andreæ de Amigone Mantuani Abbatis S. Benedicti Mantuæ.



PHoſphorus, vt fertur, gratiſſima ſtella Leoni eſt,
Pro crine illa iubar, geſtat at iſte iubas.
Ergo Leo geminus quòd amicum ſuſpicit aſtrum
Illud ego ſidus Phoſphoron eſſe reor.
Gratulor: ecce tuo te cerno in ſtemmate pictum
Viuis luce Leo, lumina ſtella vibras.
Phoſphorus alter ades, nec gaudia noſtra moraris;
Virtutis ſiquidem reddis ab ore diem.

Andreas de Amigone Mantuanus

Diadema inaurans

Anagramma

En magnus eſt; diadema inaurans.

Epigramma

VItales felix cum proueheretur in auras,
Penſa huic pro lanis aurea, Parca dedit.
Aurea quin ceſſit cumulato huic gloria cornu,
Aureo & arriſit ſidere ab axe Deus.
EN MAGNVS tandem EST, DIADEMA bono omine
Nec minus huic Virtus aurea dona tulit. (INAVRANS

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Aloyſij de Burſis Patauini Abbatis S. Iacobi Pontidæ.



PRiſca ſuos nunquam iactaſſet Roma gemellos,
Quos rapido fluuio ſors inimica dedit;
Ni duo fulgenti radiaſſent ſidera Cælo,
Inuitata tulit queis Lupa lactis opem.
Gentilis præfert tua nobis faſcia flumen,
Et duo fauſta geris ſidera picta Cruce.
Quid ſi lacte foues nos Prolem, BVRSA, Caſin am
Omina nempe Pater, ne pereamus habes.

Aloyſius de Burſis Patauinus

Beryllus *Anagramma*

Beryllus viuis; an ſatis pando?

Epigramma

BERYLLVS VIVIS, SATIS AN tua munera PAN-
Enumerare vndas ſi queo, pando ſatis. (DO?
Nunc ſatis hoc; virides imitare quòd æquoris vndas,
Beryllo & pretium quod facit, ipſe refers.
Sed freta ſæpe ſuos varient cum mota colores,
Beryllus variat; ſemper at ipſe vires.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.^{mi} P. D. Zaccariæ de Aloyſijs Peruſini Abbatis S. Benedicti Fulginei.



MArs tibi magnanimum ceſſit fortaſſe Leonem,
Mens tibi magnanimo in pectore quando ſedet:
Hinc mitem geſtas generoſo in pectore mentem,
Quæ tumidos tantùm ſueta domare manu eſt.
Denique luſiſti minitantem prælia Martem;
Signa tuus ludi prætulit vnde Leo.

Zaccarias de Aloyſijs Peruſinus

Syderites

Anagramma

Is gaza ſyderites, ſic prunas vinco.

Epigramma

IAculate circum membra torrentes rogos,
Torrere poterunt membra non vnquam faces.
IS nempe GAZA SYDERITES emico.
SIC VINCO PRVNAS, ludo ſic incendia.
Si quæris vnde hæc profluant miracula,
Docebo, cœlicus haud ſentit flammas Amor.

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Benedicti Terzij Parmenſis
Abbatis S. Mariæ Gratiarum.



STemma tibi fuluo volucrum Regina metallo
Cincta caput geminum ſi BENEDICTE dedit:
Omen habes; Regnum volucris portendit, & illa
Sceptra tibi gemino vertice bina dabit.

Benedictus Terzius Parmenſis

Zanthenes *Anagramma*


Primus eris, Zanthenes dictus.

Diſtichon

PRIMVS ERIS, gaude; quæris quo nomine DICTVS?
ZANTHENES, electri cui color eſt odor.

Stemma

Stemma Reu.[mi] P. D. Deſiderij Petronij à Fractis Abbatis S. Pauli de Vrbe.



STemma tibi fingit fugiens commercia Paſſer.
Solus & in ſolida cernitur eſſe petra.
An nouus Hermetes ſapiens hic iura miniſtras?
Paſſer at Hermetem non benè fortè decet.
Arcanum ingredior. Monachi duo munera pandis;
Vt maneat conſtans, vt leuis aſtra volet.

Deſiderius Petronius a Fractis

Iaſpis *Anagramma*

Iaſpis videris, & Roſa fert decus.

Epigramma

INter adoratas qualis ſplendeſcit Iaſpis
Gemmas, cui roſeus cernitur eſſe color;
Inter & Heroas ſic ipſe VIDERIS IASPIS
ET, ne quid deſit, FERT ROSA in ore DECVS.
Amplius haud quæram an ſtimulus ſit Iaſpis amori,
Cum ſis ipſe hominum, viuus Iaſpis, Amor.

R.[mus]

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Flaminij de Pate Meſſanenſis
Abbatis S. Mariæ Gangij.



NOn tibi nequicquam Regina animoſa volucrum
Solis amans patrio in ſtemmate celſa ſedet.
Scilicet illa oculos Phœbeo vt lumine paſcat,
Vſto, inquit, licet in corpore penna flagret.
Sic tu etiam inſpecto diuino an ſole fruaris
Neſcio, ſed certè Numinis igne flagras.

In Aquilam & Conchas
Diſtichon

IMperium portendit Auis, ſine pignore triplex
Concha, docet gemmam te Pater eſſe ſuam.

Flaminius de Pate Meſſanenſis
Lapis nitens *Anagramma*
Fiam Deo lapis nitens, an ſum? es es.

Dialogiſmus inter Flaminium, & Angelos.

FLAM. *SAluete Cœli puberes, & fulgidi*
Numinis ephœbi, arcana ſcrutari libet
Conſilia ſidereæ domus, vos alites
Aperite facili voce quæ iam ſciſcitor,
Tellure cedens olim, in ætheria domo
FIAM DEO LAPIS NITENS, AN SVM hic?
ANG. *ES ES.*

Stemma

Stemma Reu.^mi P. D. Euſebij Bertuccij Bononienſis Abbatis S. Petri Regij.



Candida te integrum monſtrant tua lilia; ſed cur
Extenſa hæc ramum dextra ſubinde gerit?
Exciſus doctæ eſt è Palladis arbore ramus;
An Sophiæ hoc Pallas munere fundit opes?
Hoc puto. nam ex aſtris fluxit tibi docta Minerua,
Quæ tecum in ſua vult aſtra referre gradus.

Euſebius de Bertuccijs à Bononia

Euſebes

Anagramma

Hic bis Euſebes, bono cara Deo, viuit.


Epigramma

Euſebes ex eo lapide eſt; in quo traditur Tyri in Herculis templo facta ſedes, ex qua Dij facilè ſurgebant. Plin.

SI ſacra fulſerunt Euſebe Altaria Diuum
Vnde futurorum præſcia verba dabant;
Ecce BJS EVSEBES HJC eſt, re, & nomine gemma;
CARA BONO & VJVJT dignior Ara DEO.

S Stemma

Stemma Reu.mi P. D. Clementis Petronelli à Grauina Abbatis S. Angeli Montis Caueoſi.



SI tibi de Cœlo clementia ſidera fulgent
Cur acri è terris horret in vngue lapis?
Stemmate cur patrio ſecum pugnantia nectis?
An ſimul & clemens, & ferus eſſe cupis?
Non ita; ſed quiſque vt clementia ſentiat aſtra
In ſe adhibere docet aſpera ſaxa prius.

Clemens de Petronellis à Grauina

Lapis diam generans lucem.

Anagramma

En lapis, lętor, diam generans lucem..

Epigramma

EN LAPIS inſolitos qui fundit ab ore nitores;
Qui radio ſolem ſplendidiore præit.
LETOR, ſi DIAM es GENERANS LVCEM, ætheris
Te gemmam merito, haud æquoris eſſe puto. (ergo

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.^mi P. D. Theodori Squilini Brixienſis Abbatis S. Fauſtini Brixiæ.



CErnis vt audaci ſubiecta repagula pulſat
Vngue Leo: vt quatiunt Colla animoſa iubas:
Gentilis tuus ille leo eſt, SQVILLINE, tibique
Quæ ſint magnanimo in pectore ſenſa, docet.
Hebræo quondam ille Duci mella ore profudit
Sentio nunc, animus mellcus vnde tibi eſt.

Theodorus Squilinus Brixienſis

Theſaurus

Anagramma

Theſaurus eximius nobis donaris.

Epigramma

THESAVRVS vel gemmarum SQVILINE, *vel auri*
NOBIS DONARIS omnibus EXIMIVS.
Quid mirum SQVILINE *igitur, ſi hoc munere lucis*
Explicat inſolitum noſtra Corona iubar?
Illud ego miror, tua quòd lux extima fulget,
Et tibi fulgendi pectore cauſa latet.

Digitized by Google

Stemma Reu.^{mi} P. D. Aloyſij de Herrighis Patauini Abbatis S. Nicolai Littoris.



PRouocat expanſis Sobolem Iouis armiger alis,
Et iubet aërijs ire volando plagis.
Mox præit, & celeri ſe tollit in alta volatu,
Et Matrem ſequitur nupera turba ducem.
Stemma monet; ſequimur te nos HERRIGHE volantem;
Trina etenim callem faſcia in aſtra docet.

Aloyſius de Herrighis Patauinus

Chryſolitus

Anagramma

An Chryſolitus ipſe adiungeris?


Epigramma

AN nitidis etiam gemmis ADIVNGERIS IPSE
CHRYSOLITVS? ſiquidem moribus aureus es.
Aureus ille lapis fulgoribus emicat auri
Phœbei currus dictus ineſſe iugo.
Dixerit, vt libuit, Vates in carmine; ſolem
Te certè ſupra cælica fama vehit.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.^{mi} P. D. Flauij Bonfilij Paduani
Abbatis S. Benedicti Militelli.



CAndida cur altis pingis tua lilia raſtris?
Aemula an aſtrorum lilia raſtra gerunt?
Eſto: ſed illa tamen cur ſunt tria lilia? cordis
Anne hinc vis florens, mens pia, caſtus amor?
Hoc puto: neue triplex fugiat te hoc munus olympi,
Ceu leo magnanimus mordicus vngue tenes.

Flauius de Bonfilio Paduanus

Lapis floridus

Anagramma

En lapis floridus; viuo ab vnda.


Epigramma

FLORIBVS EN LAPJS adſum; VJVO & naſcor AB
Et ſocior gemmis non moriturus bonos. (VNDA
Deque pijs lacrimis proles venit aurea; certè
Gemmea non talem flumina Gangis habent.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Gratiani Gutij Mediolanenſis Abbatis S. Simpliciani Mediolani.



PAlladis vt carum te prædicet omnis alumnum,
Laurus apollineo munere texta tibi eſt.
Arma gerit pro te Pallas, lethalia laurus
Fulmina non metuit, laurus amica Ioui.
Incipe neſtoreos, GRATIANE, hinc viuere ſoles
Quo feriat iaculo te Libitina caret.

Gratianus Gutius Mediolanenſis

Smaragdus *Anagramma*

En Smaragdus natus: nil eo gratius.


Epigramma

QVis tibi pro merito præconia rara Smaragde
Quo nihil eſt oculis gratius, ore ferat?
Sic oculos pateris, radiante vt ſole videri
Cum vetet hic vndas cernier, ipſe queas.
EN hic Caſſino eſt NATVS gemmante SMARAGDVS
NIL & EO vndoſum GRATIVS Aequor habet.
Conficit obiectum ſoli te fortè ſenectus,
Virtutum radijs ſemper at iſte viret.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu[mi] P. D. Andreæ Arcioni Parmenſis
Abbatis S. Io: Euangeliſtæ Parmæ.



ARmigeris, ARCIONE, Iouis quid Ephippia iungis
Si dorſo impoſitos tollere neſcit Auis?
An tibi, quæ ſuperum Regi fera tela miniſtrat
Depoſito tandem fulmine ſeruit Auis?
Quadrupedum ne vias, terraſque exoſus, in Aſtra
Succollante Iouis alite carpis iter?
Sic puto, nimirum tibi Cælum hæc præmia debet:
VIRTVS quæ in terris currit AD ALTA VOLAT.

Andreas Arcionus à Parma

Androdamas *Anagramma*

En is, ceu Androdamas rara.

Androdamas argenti nitorem habet vt adamas, quadrata, nomenque impoſitum ab eo, quòd impetus hominum & iracundias domet. Plin.

CRedideram argenti nitidum iubar eſſe, quod ore
Exprimit, argentum non tamen illud erat.
Forte Adamantis habet candorem? at forma ſedendi
Quadra ſuper nitido non adamante ſedet.
Ergo quid? EN IS CEV RARA ANDRODAMAS adamantis
Cum iubare, in quadro iam ſtabilimen habet.
Ne ſedem huic aliquis, ſeu lucem demere tentet;
Si neſcit, vires edomat Androdamas.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Hortentij de Furcis Papienſis Abbatis S. Bartholomæi Aſt.



QVæ rerum portenta oculi? quæ monſtra? Leonis
Humanum geſtant membra animoſa caput?
Vnde hominis tuus, HORTENTI, Leo vertice geſtit?
Vnde hominis vertex membra Leonis habet?
Agnoui. Vultus tua monſtrat acumina mentis;
Cætera magnanimus diceris eſſe Leo.

Hortentius de Furcis Papienſis

Paneros

Anagramma

Paneros ipſe tibi fœcundus eris.

Diſtichon


Huic gemmæ Plinius tribuit fæcunditatem.

FECVNDVS PANEROS ERIS IPSE TIBI, omen & almum;
Fæcundus lapis, at prolis amicitiæ.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P.D. Seuerini de Fuſcis à Caſtro Forti Abbatis Sacri Montis Caſini.



Sidera ſunt in Campo cæruleo Montes in Campo aureo.

ET iubar innocuum: & Cœlum tua ſidera norunt,
Sidera, quæ patrio in ſtemmate trina micant.
At quia tergemini campo cernuntur in aureo
Attolli montes: quæ noua forma rei eſt?
An cum Pactolo, proprio Tagus exul ab alueo
Hùc tibi conceſſit, fulua vt arena foret?
An tibi natiuum ſuderunt ſidera Cœlo
Aurum, quo tellus nunc tibi fulua nitet?
Credere vtrumque licet, nam terris caro, & olympo
Vnà aurum tibi humi flumina, & aſtra ferunt.

Seuerinus de Fuſcis à Caſtroforti

Sidus

Anagramma


Sidus, coronam ſic vt efferas, ſtruis.

Alluditur ad ſidera gentilitia.

VIrente lauro nobiles cingant comas
Seu hoſtium cruore qui laurum irrigant,
Seu queis Apollo carmina, & numeros dedit.
Vtrumque tempus ipſe cinges pulchrius
O FVSCE, *maior quando tibi virtus ineſt.*
Aliena tu non quæris, inde in ſtemmate
SJDVS, CORONAM SJC VT EFFERAS, STRVJS
Portenta ſunt virtutis hæc tuæ. Tibi
Peregrina reliquis Aſtra ſunt gentilia.

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Bertarij Giardini à Sermoneta Abbatis S. Benedicti Caſtrouillarum.



ASpicis, vt iunctas, velut icta in fœdera, palmas
Et mediam præfert nobile ſtemma Roſam?
Quam tibi Relligio dat, reddis tu quoque dextram
Et iurata fides candida vtrinque datur.
Inde tibi exoritur Roſa regia, teſſera honorum;
Sed tibi nobilior purpurat ore pudor.

Bertarius Giardinus è Sermoneta

Hęmatites

Anagramma

Sanguineo rubore Hęmatites ardes.

Epigramma


Hæmatites ſanguinei coloris ſanguinemque reddentis, ſi teratur. Plin.

RVBORE cur, GIARDINE, *SANGVINEO*
Suffuſus ARDES? veſtium quæ purpura (procul
Cruenta tingit innocentem? Regiæ
Num charitatis illa veſtis eſt tuæ
Cruore quæ ſe proprio tingit libens
Aliena ſemper vt ſtet incolumis ſalus?
Illa, illa purpurantis eſt veſtis tuæ
Giardine, charitatis: ò factum bene!
Ipſe HEMATITES gemma dicendus mihi es;
Nempe illa fracta ſi profudit ſanguinem,
Fundere cruorem te tua docet charitas.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Marci Rotæ Veneti Abbatis S. Mariæ Prataleæ.



CErnitur hic Maurus, cui tænia velat ocellos,
Suppoſituſque rotæ prominet è ſcopulis.
O benè! nec melius ſapientia panditur; orba
Hæc terræ, ætheriæ ducitur orbe rotæ.
Maurum MARCE refers, tu nempe laboribus atris
Non cadis, at ſumma in culmina carpis iter.

Marcus Rota à Venetijs

Orca

Anagramma


Iam vera tu orca nites.

Epigramma

NOmine vix noto gemma eſt quæ dicitur orca,
Et te quadruplici mira colore refert.
Eſt nigror in gemma, tu fers in veſte nigrorem
Eſt candor, niuea, & candidus ipſe fide es.
Gemma refert aurum, tuque auro es fuluus amoris,
Jlla virore placet, ſpe poli, & ipſe vires.
IAM TV VERA NITES ORCA, imo, & crederis Arca
Hic vbi ſeruatur miſſus ab axe color.

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Io: Baptiſtæ de Ratu à Dertone
Abbatis S. Nicolai Buſchetti.



HIc Auis imperij generoſas explicat alas;
Hic ternos reſerunt ſtemmata pulchra globos.
Auguror excelſa. hoc felix Auis omine curre;
Quid, tibi ſi hinc triplex augurer imperium?
Perge omen felix, rutilo nam carus olympo es
Cui dux eſt virtus; ſors cui dextra comes.

Ioannes Baptiſta de Ratu à Dertone

Draconites *Anagramma*

Vaſta Dei Draconites, patenter bona.

Epigramma

IAm credam è cerebro gemmam peperiſſe Draconem,
VASTA DRACONITES quando PATENTER
Noſcimus inde bonam; nitida eſt, Cordiſque figura (ades.
Gaudet, & vna artis neſcia ſponte nitet.
Tu BONA, nempe DEI es; trinoque hinc munere fulges:
Cordatus, nitidus, nullius artis opus.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Flaminij Cuculi Rauennatis Abbatis S. Spiritus Papiæ.



ET viret, & nullo violata eſt turbine quercus
Mole ſua ſtans quæ prominet è ſcopulis.
Nempe tuum robur quercus docet ardua, ſed cur
Inſauſti Cuculum hæc ominis arbor habet?
Hoc ego crediderim; quia verno concinit Ales
Tempore, perpetuum ver tibi adeſſe docet.

Flaminius de Cuculis Rauennas

Anagramma

Calais

Viue diu, nam Calais fis lucens.

Epigramma

AEmula Sapphiri eſt Calais: ſic aurea lucet;
Cui tamen ingenitus candor ab ore micat.
VIVE DIV: CALAIS NAM FIS ex nomine LV-
Certè Aurum geris in Corde, & in ore niuem. (CENS;

Stemma

Stemma Reu.mi P. D. Epiphanij Bellaceræ Panormitani Abbatis S. Mariæ Montis Regalis.



STemmata magnanimus tibi qui gentilia pingit
Et Zona impoſitus ſtat radiante Leo;
Illa ne ſignifero defluxit ab ætheris orbe,
Et famulatrices fundit ab ore faces?
Ne tenebras metue ergo BELLACERA; Leonis
Scilicet illuſtrem te tua flamma facit.

Epiphanius Bellacera Panormitanus

Sapphirus *Anagramma*


En Sapphirus ab alto lumina rapiens.

Epigramma

AEmula ſit Cœli vario miniata colore
Sapphirus, Cœlo cui color ille venit.
Tu nouus EN RAPIENS SAPPHIRVS LVMINA AB ALTO
BELLACERA, *ſinu multicolore nites.*
Coniectare libet; ſi tanta hic luce coruſcas,
Luminis in patria quàm radioſus eris?

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Octauij Robbij è Cherio
Abbatis S. Honorati Lirini.



STemma quid ad ſuperos radiantia ſidera Cœli
Tollit, & æthereas iactat in orbe faces?
Aurea ſi rutili ſunt ætheris aſtra ſupellex,
Communes tecum fundit olympus opes.
Quilibet inuideat, tu furto es tutus ab omni;
Cœlica nimirum munera nemo rapit.

Octauius Robbius è Cherio

Catochites

Anagramma


Viue, rube ò Catochites orbis.

Epigramma

GEmma eſt Catochites. Naturæ ò mira poteſtas?
Impoſitam retinet, vel neget ipſa, manum.
VIVE O CATOCHITES ORBIS, RVBE, & emicet
Sentio iam, vnde hominum corda, animoſque tenes. (ardor;

Stemma

Stemma Reu.^mi P. D. Angeli Corradi Mantuani. Abbatis S. Petri Sauiliani.



ENtheon eſt Cor Corradi, quod figitur enſe;
Certè hæc diuini Cuſpis amoris adeſt.
Saucius eſt animus, diuino punctus amore:
Nos at amoris item ſauciat enſe ſui.
I quicunque doces confoſſa haud viuere Corda
Dat Corradus enim viuere, quando ferit.

Angelus de Corradis à Mantua

Solis gemma

Anagramma

An tu vera ſolis gemma candida?

Epigramma

FVlget Apollineo rutilus tibi lumine vultus
Vnde procul iubaris vena ſuperba fluit.
Sol mihi ſi fueris, non fies gemma; quid ergo?
Poſtulat à gemmis noſtra Corona decus.
AN TV VERA quidem GEMMA es iam CANDIDA (SOLIS?
Tu certe ſolis fundis in orbe iubar.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.^mi P. D. Thomæ de Sirena Panormitani Abbatis S. Iuliani Genuæ.



OCeano vehitur Siren, micat æthere ſtella;
Jlla dolos nectit, detegit iſta dolos.
Naufraga ne ad ſcopulos tua Cymba fatiſceret, aſtrum
Te docuit dubias ire, redire vias.
Non ergo excantat Siren, te cantat Vliſſem
Seque triumphatam ſideris arte docet.

Thomas de Sirena Panormitanus

Sardoniches

Anagramma

Nae tu Sardoniches mitram ornas.

Epigramma

GLoria Sardoniches iam non erit vltima gemmis,
Quum Regi & placeat Sardonichata manus.
NAE TV SARDONICHES MITRAM ORNAS; in-
Aula ſui Capitis nobile iactat onus. (de Caſina
Macte animo, SIRENA, *etenim ſi hic gemma coruſcas*
Jn ſuperis rutili ſolis ad inſtar eris.

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Vrbani de Suſinno Panormitæ Abbatis S. Martini Panormi.



Arbor in campo aureo. Lilia in candenti.

COnſpicit Heſperidum pretioſi germinis hortos
Qui SVSINNE tuum nobile ſtemma videt.
Aurea fatalis ſi arbor ſua poma ferebat
Nonne pares fructus aurea terra dabit?
Aſt hic cerno aliquid, priſcus quod non tulit hortus,
Aurea candenti lilia nata ſolo.
Sed quid agit Gryphus roſtro metuendus, & vngue?
Scilicet excubias more Draconis agit.

Vrbanus de Suſinno Panormita

ſidus aurum generans

Anagramma

Nonne ſidus nobis aurum parat?


Epigramma

SI creat optatum ſole aurum terra marito
Sidere nunc AVRVM NONNE micante PARAT?
Sic radiat NOBIS SVSINNI *nobile SIDVS,*
Auri vt Caſſino dona opulenta creet.
Omnibus ergo plagis Caſſini Regia præſtet,
Sidera cui ſolum ex æthere fauſta micant.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Mauri de Caprara à Paternione Abbatis S. Placidi Meſſanæ.



CVlmina cur palmæ conſcendere Capra laborat,
Quæ iuga ſaxoſi montis amare ſolet?
Virtutem num Capra refert ſudore parandam,
Virtutis cum ſit ſemita difficilis?
Tecum MAVRE agitur. quæſita per ardua Virtus
Palmifera eſt; Turri firmior illa ſedet.

Maurus de Caprara a Paternione

Tiaræ decus

Anagramma


Non paruum paratae tiarae decus.

Epigramma

MAVRE *iuuat feſto tibi carmine dicere plauſus,*
Vocibus & magnis, IO, iterare placet.
Exornant alijs diademata fulgida frontem,
Et parit inſolitum celſa tiara decus.
Sed tu NON PARVVM DECVS es ſine labe PARATAE
MAVRE *TIARAE, altum nam iubar ore ſedet.*
Viue diu felix, cui non damna vlla nocebunt;
Vt radies ſemper tu iubar ipſe creas.

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Clementis de Boſchis Romani Abbatis S. Mariæ Raguſij.



TEla cute inflata Melis vibrata retundit,
Ore ſed hirſuto dulcia mella cupit.
Fortunæ impauido ſpernis tu corde ſagittas,
Et virtute animi mella cupita refers.

Clemens de Boſchis Romanus

Succinum *Anagramma*

Num labes et ſordes ſuccino?

Diſtichon

CVr totus niteas, ratio patet obuia CLEMENS
LABES ET SORDES NVM, rogo, SVCCINO erunt?

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.mi P. D. Gregorij Coppini Parmenſis Abbatis S. Mariæ Farfæ.



CRatere è vitreo Baſiliſcus lumina torquet;
Non tamen ex oculis atra venena iacit.
An veteri poſita natura peſtifer anguis
Vſu nunc didicit mitior eſſe nouo?
Si tibi vicinum fert nulli funera Virus,
Iam tecum innocuus vèl Baſiliſcus erit.

Gregorius Coppinus Parmenſis.

Pyropus

Anagramma

Coronae pyropus, pijs egregius.

Epigramma

CEu proprio flagrat ſcintillans igne pyropus,
Et pretio egregias euibrat ore faces;
Sic COPPINE *CORONAE inſignis es ipſe PYROPVS,*
Et nitido EGREGIVS ſemper es ore PIIS.
Nec tibi præ vultu tantùm ſedet extimus ardor;
Vis maior, GREGORI, *flammea corde latet.*

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Aloyſij de Squatrono à Venetijs Abbatis S. Georgij Venetiarum.



QVas pugnas, quæ bella paras, SQVATRONE, Leonem
Cui gerit hinc ſtemma, hinc agmina ſæua Virùm?
Quid tibi cum ſæuo vngue eſt, & certamine Martis
Candida quem Pallas, quem toga pacis habet?
Credo equidem; fortis tua cingitur agmine virtus,
Quæ vigil vt ſemper ſit monet inde Leo.

Aloyſius de Squatrono a Venetijs

Sydus

Anagramma

O qui nites, ò tiarae ſydus, ſalueto.


Epigramma

O QVI coruſco lumine, ALOYSI, *nites*
O SYDVS aureum TIARAE, maximis
SALVETO votis, vota Cœlum ſoſpitet
Et vota ſoſpitabit aſtrorum domus.
Aliquis ne facto dubitet? hoc certum eſt ſatis:
Sydus tiaræ cum, SQVATRONE, *ſis nitens*
Cœli aſtra nequeunt non fauere ſyderi.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Cornelij de Grandis à Verona
Abbatis S. Angeli Caietæ.



MVnera non Floræ ſunt bina hæc lilia; ſed ſunt
Relligionis amor, Relligionis honor.
Hæc tibi ſceptra ferunt, trino hinc tibi Zona refulget
Sydere; ſic ornant lilia, & aſtra fouent.
CORNELI ad ſuperos hinc perge; Galaxia Cœli
Jam facta eſt; Virtus hoc tibi ſternit iter.

Cornelius de Grandis a Verona

Coralium *Anagramma*


En ornans coralium Dei es, gaude.

Epigramma

GErmen aquæ rubrum molleſcit vt herba ſub vndis,
Vt videt in terris æthera coralium eſt.
O quantus CORNELI *es Relligionis ad auram!*
Qui datur, ò quantum te ſolidauit honos!
CORALIVM EN ORNANS DEI ES. ergo hoc omine
Hoc ſi quidem gaudet nomine Relligio. (*GAVDE*

Stemma

Stemma Reu.^mi P. D. Ignatij Mariæ à Maſſa Abbatis S. Mariæ Plateæ.



QVàm benè in aggeſto rident tibi lilia monte!
Quàm bene de Cœlo fulgida ſtella micat!
MASSA tuæ miranda hæc eſt virtutis imago,
Atque tibi maſſam præmia ſumma ferunt.
Cœlum, aër, tellus vni tibi ſeruit; at æquor
Sume etiam, vnius forſan & orbis erit.

Ignatius Maria de Maſſa

Gemma Iouis

Anagramma

Gemma Iouis ſat radians.

Epigramma

A Ioue principium eſt, quis nomina & omina frangat?
SAT RADIANS ſuperi es GEMMA ſuperba IO-
Illa decus candore trahit; te candida veſtit *(VIS.*
Integritas; ita habes omnia plena Iouis.

Stemma

Stemma Reu.mi P. D. Alexandri Cardini Neapolitani Abbatis S. Catherinæ Genuæ.



QVi digitos rigido prenſantis acumine pungit
Carduus, hic patrium cur tibi pingit agrum?
Magnanimos ſi parua poteſt ſpina vſque Leones
Lædere, num ſpinam Cardui amare queunt?
Carduus (ah noui) dum floret, acumina linquit;
Nec Virtus tua quæ floret, acumen habet.

Alexander è Cardinis Neapolitanus

Paeantis *Anagramma*

Nobilis exorere laudanda Paeantis.


Epigramma

Pæantides prægnantes fieri & parere dicuntur. Plin.

TV quoque deprompto PAEANTIS carmine Vatis
LAVDANDA, ò age, iam NOBILIS EXORERE.
Naſcere fœcunda pariens Paeantis ab aluo,
Parturiens è qua fœmina ſentit opem.
Caſſinum interea gemma hæc peregrina beabit,
Nam gemmæ è partu non niſi gemma venit.

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Iouitæ de Rubeis Romani Abbatis S. Eugenij Senarum.



VIcit Auis magno hic contermina culmina Cœlo,
Illa auis imperio viuere nata Iouis.
Nec potuit præpes tam multo auis obice ſiſti,
Alta ſuper peteret quò minus aſtra Iouem.
Ocyor eſt virtus tua, crede; hoc alite; felix
In Iouis vſque ſinu quando IOVITA manes.

Iouita de Rubeis Romanus

Anagramma

Aue mens bis ditior auro.


Epigramma

MENS rutilo ſublimis AVE BIS DITIOR AVRO
Mens gemmis ſalue ter pretioſa magis.
Si pariunt aurum nigrantia viſcera montis;
Cor, IOVITA, *auri clara ſodina tuum eſt.*
Si gerit vndiſono nitidus mare pectore gemmas,
De placido ipſa tuo pectore gemma venit.
Quiſque igitur montes ſcrutari mittat & vndas;
De te nam diues quilibet eſſe poteſt.

Stemma

Digitized by Google

Stemma Reu.[mi] P. D. Ioſephi Lomellini Ianuenſis Abbatis S. Seuerini Neapolis.



Gentilem cur ſtemma tibi diſcriminat agrum,
Hæc vt pars aurum præferat, illa niues?
In niueo integritas tua ſat mihi nota colore eſt;
Vir tamen haud aurum Religioſus amat.
An virtus, IOSEPH, *cum ſit pretioſior auro,*
Cum integra tantum fœdere iuncta niue eſt?

Ioſeph Lomellinus ab Ianua

Opalus *Anagramma*

Eia en nobilis almus Opalus.

Epigramma

Siue viror placeat Sapphiri, ſiue Amethiſti
Purpura, ſeu flammas ore Pyropus agens.
Egregiæ cedant Opalo ſua nomina gemmæ;
Munera cunctarum ſcilicet vnus habet.
EIA EN ipſe, OPALVS, IOSEPH, *es NOBILIS*
Quis dubitet? centum lucibus ecce micas. *(ALMVS*

Digitized by Google

In laudem Reu.^mi P. D. Matthei Belloni à Venetijs Capſarij Congregationis Caſsinenſis.

Mattheus Bellonus a Venetijs

Hormeſion — *Anagramma* —

Tu venuſta ſine labe Hormeſion.

Epigramma

Hormeſion radians auro portat in extremitatibus candidam lucem:

GEmma VENVSTA nitet SINE LABE HORMESION, aurũ
Cuius nempe ſinus promit & ora niuem.
Hæc tu gemma nites; claudes feliciter annos.
Aurea cui vita eſt, candidus emoritur.

Denique pro foribus Eccleſiæ S. Petrus Abbas Præſules omnes intra ſacras Templi ac Monaſterij ædes hoc Epigrammate inuitabat.

ILle ego qui tanti ſtatui fundamina Templi,
Patris vbi inſtitui nomina priſca PETRVS.
Hic, vbi noſtra manus pro ouibus ſudauit & alſit,
Exuuiaſque ouium tradidi in excubias;
Ille ego Cœlicolùm vos celſo ex agmine Diuùm
Si tacita, haud dubia voce ſaluto Patres.
Pergite conceſſi reſerata in limina Templi
Hic, vbi ducendum à Numine principium eſt.
Mox ſimul hoſpitium, ſimul & penetralia cordis
Omnibus hæc Patribus peruia amantis erunt.
Quid demum expectem tantorum de agmine Patrum?
Quæ placitura Deo, quæ placitura Viris.

Quia verò ex animo arbitrioque fuit Reuerendiſſimi P. D. Leonis à Tuderto eiuſdem Monaſterij Abbatis per id temporis Beatiſſimæ Virginis de Lilio imaginem diu cultam Ruri, noſtrum in Templum, Aramque decentiorem, Monachis omnibus ei ſolemniore ocurrentibus pompa, transferre, gemmeam Reuerendiſſimorum Abbatum Coronam eidem Virgini cingendæ quodammodò aptare libitum eſt; Cuius in laudes exarata præterea carmina, quæ tùm Beatiſſimæ Virginis Sacellum, tùm extrorsùm Ianuæ Eccleſiæ ſuperliminare, Porticuſque parietes penſibilibus in chartulis exornabant, hìc legenda conſequenti ordine proponuntur.

Sed

SEd prius ad vultum exſcriptam tibi ſubdo figuram
An Nato Mater pulchrior, ambiguum.
Pronus vtrique dico mea vota, & carmina; nempe
Muſa mihi Mater, Natus Apollo fuit.



S. Maria de Lilio

Anagramma

Dei mollis iras.

Diſtichon

N*E metuant homines irati tela Tonantis;*
IRAS tu MOLLIS candida Virgo DEI.

Digitized by Google

ELEGIA

Virgo ad Filium, vt à Villa Valliana Monachorum Caſsinenſium S. Petri Auguſtæ Peruſiæ vnà ſimul ad Vrbem, eorumdem in Templum concedant.

IAm ſatis agreſtes, mea Lux, habitauimus ædes
Auguſtos placeat nunc habitare lares.
Nos patulis quondam coluit vix Pauper in hortis;
Poſt Valiana dedit Villa Caſina decus.
Tuta quidem hic noſtrum vallarunt mœnia Templum,
Portaque ferratis non caret vlla ſeris.
Hic laqueata domi placuerunt marmore tecta,
Hic etiam rarum prætulit ara iubar.
Sæpius hùc venit facturus ſacra Sacerdos,
Sæpius hic populus pectore vota dedit.
Hæc Benedictinus mihi gaudia præſtitit Abbas,
Gaudia non vlla diſſimulanda die.
Ille LEO, multo qui nunc mihi iunctus amore eſt,
Cuius ego cordi cœlica ſenſa dedi.
Quin ego quæ dixi, tua, Nate, ea iuſſa fuere
Vſque adeò cæpit te Genitricis amor.
Bartolellus Ager dum nos agreſtis habebat
Haud poterat nobis vlla litare manus.
Non inclinauit noſter tunc lilia culmus,
Lilia candorem nec minuere ſuum;
Sed rigidos inter ſpectabam lilia dumos,
A rigidis tantùm lilia culta rubis.
Credo equidem creuit quò nobis ſpina coronam
Texeret, vnde aliquis diſceret eſſe pium.
Aſt ego conſpectu timui mala crimina veprum,
Pungebantque animos aſpra rubeta meos.
Ah potuere magis mea corda ferire latrones

Dum

Dum mea tecta (neſas) tecta latronis erant.
Qualis auis rupto dolet altius attica nido
In quo, dein peregrè, non paritura, fugit:
Tunc circum ſupraque volans, nunc ardua ſummo
Vertice, nunc imà pendula fronde ſedet;
Haud aliter cunctis luſtraui compita vicis,
Vt ſtabiles poſſem ponere tuta lares.
Quin iter ignotas longas meditabar in oras,
Diſceſſu vt pœnas præuia culpa daret.
Ecce ſed interea tenuis poſſeſſor agelli
Quæ flexere animum, concipit ore preces:
Ah, rogat, ò Mater iuſta eſt tibi cauſa dolendi,
Sed patrio noceat ne mea culpa ſolo.
Hæc mea culpa quidem eſt, meruit ſi hæc culpa vocari,
Damnanda hoc certe eſt crimine pauperies.
O, mihi ſi fluerent gemmantia flumina Gangis!
Non mea de gemmis tecta ſuperba forent;
Sed tibi, Virgo, meis è gemmis Templa niterent,
Aurea & efficerem lilia, crede, tua.
Nunc pauper doleo, & tantùm hæc meus ardor anhelat;
Sola tuæ tangit cor mihi cura domus.
Dixit, & inſolito completus numine pectus
Protinus aduertit quæ mihi vota forent,
Imò tibi, ò Nate. Hic etenim ſua Rura, meaſque
Quas LEO magnanimus flagrat habere, domos
Vendidit, & pretij nulla eſt diſcordia vtrinque,
Quando ego vel pretium candida vtrique dedi.
Tunc ſimulacra mei toto ſplendeſcere Cœlo
Cœpere, atque nouos irradiare lares.
Et cœno egreſſam me lætam Rura tenebant
Ruſticus hic quando ſæpe ferebat Aue.
Nimirum patulis ſæpe eſt quid neſcio in agris,
Quod vix in clauſis mœnibus Vrbis habes.
Gratius & ruri perſæpe mapalia ſurgunt,

Ruſtica

Digitized by Google

Ruſtica quæ tenui vimine arundo tegit.
Quum tamen Auguſtæ Auguſtas mihi fecerit Aras
Qui dedit in villis ſplendida tecta, LEO;
E Villis mea Lux unà egrediamur in Vrbem,
Excipiantque Petri Numina noſtra lares.
Sic rogat enixis precibus pia Turba Caſina,
Illa, ædes Petri quæ pia turba colit.
Sic rogat ipſe LEO. Hic recinent mihi tympana plauſus,
Hùc populus flexo poplite vota feret.
Obuius Abbatum venit ecce nitentior ordo,
Qui Benedictinis dat ſua iura Viris.
Candidus ecce venit, manibus quibus haſta refulget,
Et ſua verticibus cuique Tiara micat.
Gemmeus imò venit, de gemmis quando Corona
Aureo cuiuſque è nomine texta micat.
Par erat, vt gemmis nempe his BENEDICTVS ouaret,
Quem ſuperà cingit plurima gemma domo:
Venere hùc Proceres magni ad comitia Patres,
At noſtri his maior pectore cura ſedet.
Scilicet ambitum referant vt Patris amorem,
Virgineæ cuncti Matris amore flagrant.
Inſignis ſequitur Monachalis Turba cucullis,
Candida & in nigro tegmine Corda gerit.
Acclamat Populus, mihi ducit Virgo choreas,
Et placitis rixis, IO TRIVMPHE, canunt.
O venias, recinunt, ſperata laboribus Vmbra,
O venias placido tegmine, Malus ades.
Quæ ſæpe hærentes funeſta ex arbore plantas
Vidiſti, mea ne deſpice vota, preces.
Hùc ades ò tandem, & referas grata Vmbra quietem,
Portus & in duris, ah, Pia, malus ades.
Sic voce, atque roſas, & odoræ Chloridis herbas,
Et plena effundit lilia quiſque manu.
Nate igitur procul à Villis pergamus in Vrbem,

Y *Excipiantque*

Excipiantque Petri Numina noſtra lares.
Hæc placitura tibi, Populo placitura fideli
Expeto, ſi placeant, annue Nate mihi.
Noſco; placent. Vos miſta roſis date lilia Turbæ;
Ecce adſum veſtris certa medela malis.

PARENTI VIRGINI DE LILIO, lilia Virginea parienti.

Epigrammata

CAndida VIRGO tibi dant lactea lilia nomen,
Lilia pura, Cypri quæ Venus vna fugit;
Nam tu, Virginei cum ſis Regina nitoris,
Tam niuei floris quàm bene nomen habes!

Eidem

LIlia ſunt florum Reges, ſunt ſtemmata Regum,
Et niueo in Regno lactea ſceptra gerunt.
Tu melior VIRGO florum es Regina; tuumque
Imperium, niueus candor, & aſtra timent.
Hinc famulata tibi trinum hoc dant lilia regnum,
Et nomen cedunt victa nitere tuo.

E Lilio prærogatiuæ Mariæ, & è Maria prærogatiuæ Lilij.

SIt tibi pompa, Venus, fallacia pingat & ora,
De te quæ falsò dicitur orta, Roſa.
Sit Roſa flos Veneris, rubicundo picta colore
Pingat & infamis membra pudenda Deæ.
Queis Natura dedit purum præferre nitorem,
Lilia Virginei ſigna nitoris erunt.
Cum ſimulacra tui, VIRGO, ſint lilia; flos hic
Jn Nomen quid ni germinet vſque tuum?

Nomina

Digitized by Google

Nomina ſi iuſtè pariunt tibi lilia; Cur non
Candida pro ſceptro lilia, VIRGO, geres?
Hinc tibi dat ſceptrum IESVS, dat nomina Turba.
Tu florum Reges lilia, VIRGO, creas.

Eidem ſtellis coronatæ

VIRGO Parens, biſſena tuum licet aſtra coronent,
Ornet & impoſito ſole Tiara caput..
Hæc tu ſerta tamen ſpernis; cur? nempe coruſcum
In gremio Solem, ſidus & omne geris.

Eidem

SIdera, VIRGO, tibi cum cingant plurima crines,
Cur humero in dextro ſtellula ſola ſedet?
Illa ne te ſtellam, VIRGO, maris indicat eſſe?
An magis aduerſi ſideris vmbra Dei eſt?

Eidem

LIliolum te alibi ſpinas qui dixerit inter;
Liliolum hic te inter lilia, VIRGO, vocet.

Puer Ieſus in ſinu Matris lilia manu præfert, ab Angelis, vt fama eſt, depicta.

CAndida quæ calamis nituntur lilia eburnis,
Vnde ſibi æternum hoc explicuere decus?
Pæſtana haud generant ſimiles viridaria flores,
Et ſua non ſimiles per iuga Chloris habet.
Hæc nec Amadryades legerunt lilia in hortis,
Talia nec Tellus Dædala culta dedit.
Cum nullis habeant ſua ſemina lilia in agris,
Quis neget Angelica lilia nata manu?

Virginitas Beatiſsimæ Virginis ex quadruplici germine, quod lilij culmus edit, demonſtratur.

VIRGO, quòd elyſijs tibi venit lilium ab hortis,
Signa, quòd hoc IESV dextera geſtat, erunt.
Lilia quòdque tui ſtent hîc monumenta pudoris,
Edocet hoc Culmus germine quadrifico.
Virginis haud ſponſæ ſignum eſt quod clauditur vnum;
Par huic, fœcundæ candida ſigna gerit.
Virginis indicium parientis germen apertum eſt,
Virginis enixæ ſtant monumenta pari.
Miratur tot ſigna fides; ego miror at vnum,
Quòd ſuperat candor lilia, VIRGO, tuus.

Beatiſsima Virgo à Filio petit lilium amoris ſignum.

Alluditur ad illud Cant. 2.
Paſcitur inter lilia &c.

O Amor; ò mea dulcedo, mea vita, meum mel,
Siue mel exuperans ſi quid Himettus habet;
Lilia da Matri, da Matri vt lilia plaudant,
Hæc & amoris erunt reddita ſigna tui.
Indicat æthereum flos hic nam purus amorem,
Paſcitur atque inter lilia purus Amor.
Lilia da Matri, ah teneo: hæc mihi lilia poſco
Tu mihi candidius, Lux mea, liliolum es.

Ad Ieſum lilium geſtantem.

Lilia nunc credam Telluris ſidera, quando
In manibus geſtas lilia belle Puer.

Monachi

Digitized by Google

Monachi Caſsinenſes ad Beatiſsimam Virginem dum in Sacello S. Petri ipſimet erecta collocatur.

NOn opulenta Thetis tibi præbet ab æquore gemmas,
Hic tibi nec, VIRGO, congerit Indus opes.
Marmora nec rutilo feriunt hic verbere ocellos,
Nec metam pretio hic vaſta Columna dedit.
Non implent mira hic noſtras ex arte figuras,
Nec pictis vmbris hic ſtupor vllus adeſt.
Hæc tua ſint, SALOMON, dum condis Templa Tonanti,
Vel tibi det, VIRGO, hæc Regia ſola manus.
Ne tibi Templa tamen fabricemus, VIRGO, minora;
Ecce tibi in noſtris Cordibus Ara data eſt.

Iidem ad Lectorem

ABſcede, impuri latitant cui pectore ſenſus,
Nempe vni hæc caſto peruia Templa patent.
Aſpicis, hæc Aedes quanto iam plena Tonante
Fulguret, & tibi quàm ſit metuenda domus?
Aſpice, Cœlum hic eſt; an non Conclaue Tonantis
Hic vbi VIRGO parens degere gaudet, erit?
Ni ſatis humano videas hic lumine Cœlum,
Dilige, nam Mariæ lynceus extat Amor.

Ad Eumdem

MIlle litatis Cordibus Ara
Eſt VIRGO frequens: huc vehe Lector
Summum quidquid decus eſt Cordi,
Curaſque tuas, animoſque tuos,
Pretio hoc vno penditur Aether
Quod Virgineam pendet ad Aram.

Digitized by Google

Ad Eumdem

ASpicis, vt noſtris adoleſcat ab ignibus Ara?
Non minus hæc votis apta calere Deo eſt.
Concipe vota animo, non eſt hic fumus inanis,
Annuit ecce puer, Matre precante, Deus.

Ad Sacerdotes

DIſce Sacerdos,
Corde litato, hinc
Summus abire.
Scilicet vna eſt
Victima cordis,
Conſecrat vna hæc
Victima myſtam.

Ad Populum Peruſinum

HIc vos Terrigenæ manibus date lilia plenis,
Lilia nam manibus geſtat & ipſe DEVS.
Lætior ecce petit vos hic Genitricis in vlnis,
Liliolum & Matri nomina ferre iubet.
Auguſtas fugit haud oras, auguſtius optat
Ipſe coli, Auguſtos & colere Ipſe lares.
Ergo hilares circum manibus date lilia plenis;
Si deſint manibus lilia, Corda date.

Pompa qua Beatiſsima Virgo deportatur.

NOn mirum refluis vndant ſi compita turmis,
Semita ſi populi ferueat icta pede.
Auguſtos en Virgo lares cum pignore luſtrat,
Perque domos ſpargit lilia, perque vias.
An non Mortales veneratum ea Numina adibunt,
Queis ſupplex ſe fert obuius ipſe Polus?

Ad

Ad Eminentiſsimum & Reuerendiſsimum Dominum D. Cardinalem Cæſium Legatum &c. Inuitamentum.

Petrus Donatus Caeſius Romanus S. R. E. Cardinalis, Sanctiſsimi Domini Noſtri Papae, Peruſiae, et Prouinciae Vmbriae de Latere Legatus.

Anagramma

Cura tranſlationis Sanctę Mariae è Lilio tua nunc eſt. Sic piè Deus iubet. Ergo primus ad S. Petri Aedem ipſe veni, da Mariae pronus roſas.

Epigramma

O Petre Donate, omnium huc votis ades,
TRANSLATIONIS nempe CVRA nobilis
SANCTE MARIAE E LILIO, Peruſiæ
Quæ fiet, EST NVNC TVA. DEVS enim SIC PIE
IVBET, daturus gaudia tibi in præmium
Perennia. ERGO PRIMVS AD S. PETRI
AEDEM VENI IPSE: MARIAE ouanti DA hic ROSAS
PRONVS, ſequi te Turba dum geſtit Ducem.
Hic Candidæ ſi ſerta purpurei dabis
Floris, nouam Virgo rependet purpuram.
O ſi niuale lilium has pariet roſas;
Non alius hoc degenere partus maior eſt.

Ad

Ad Eminentiſsimum & Reuerendiſsimum Dominum D. Cardinalem de Vbaldis Epiſcopum &c.
Salutis nunciatio.

Benedictus tituli Sanctorum Viti et Modeſti S.R.E. Diaconus Cardinalis de Vbaldis Epiſcopus Peruſinus.

Anagramma.

Bene eſt, Dei Matris de Lilio ope, tu ſanus, ac diu viues, Paſtor candidus, mitis, dulcis, toti pene orbi carus.

Ad Illuſtriſsimum Dominum D. Octauianum Carafam Vicelegatum &c.

Octauianus Carafa Patritius Neapolitanus, vtriuſque Signaturae Referendarius, Peruſiae, ac totius Vmbriae Vicelegatus, necnon armorum Sanctiſsimi Domini Noſtri Commiſſarius generalis.

Anagramma

Claſsicum audis? non Martis, Mariae Virginis è Lilio ſuauiſsima tuba eſt. Ea parat Caſtra, queis infernum pugnet. Annuncio. Tu Vir fortis ei occurre, i Caput, i; Errantes mone, Aegros ora. Dat munus Ieſus.

Ad

Ad Perilluſtrem & Reuerendiſsimum D. Gaſparem Cittadinum Vicarium generalem, qui epiſtola paſtorali tranſlationem Beatiſsimæ Virginis acclamauit.

Gaſpar Cittadinus Nobilis ab Interamna Vicarius generalis Peruſinae Dioeceſis.

Anagramma

Nae Virginis decus tu bene acclamaſti. alta ergo diuinis auſpicijs ſpera. ornaberis.

Ad Illuſtriſsimos DD. Canonicos Eccleſiæ Cathedralis.

Illuſtriſsimum Auguſtae Ciuitatis Peruſiae Dominorum Canonicorum Capitulum.

Anagramma

S. Maria è Lilio vos primitus inuitat magna Lumina. currite, Vos cupimus, vt Duces.

Ad Illuſtriſsimum Magiſtratum.

Ill.^{mus} Magiſtratus Peruſiae

Anagramma

Mille tuos paſſus Maria regit.

Diſtichon

TV quoque ades; paſſus nam te ſi mille moleſtant;
MILLE TVOS PASSVS ecce MARIA REGIT.

Ad Reuerendiſsimum P. Pellegrinum Inquiſitorem S. Fidei, qui tranſlationem Beatiſsimæ Virginis frequenti conſilio laudauit.

Reuerendiſsimus Pater Frater Vincentius Maria Pellegrinus Dominicanus de Tiferno, Sacrae Theologiae Magiſter, Peruſiae ac totius Vmbriae Inquiſitor generalis Sanctae Fidei.

Anagramma

Dic age pie Vir. transferenda ne eſt è Rure in S. Petri Templum Sanctiſsima Virgo è Lilio? Transferenda; Alma enim Aurora eſt, quę conſurgit; Dei ac Virginis honor ſic iubet: ea iuſta fiant.

Ad

Digitized by Google

Ad Reuerendiſsimum Abbatem, & RR. Monachos S. Petri.

Reuerendiſsimus Abbas, et admodum Reuerendi Prior, et Monachi Monaſterij Sancti Petri Auguſtae Ciuitatis Peruſiae, Ordinis Diui Benedicti Congregationis Caſinenſis.

Anagramma

S. Mariae, et Ieſus Imaginem à Rure ad Vrbem ritibus ſacris portate: canite pæan Deo: dicite Virgini carmen. Hęc donis diues eſt; oris ſono, cordis vi, id pijs gentibus annuntiate.

Ad Perilluſtres & Excellentiſsimos DD. Auditores Rotæ.

Domini Auditores Rotae Ciuitatis Peruſiae.

Anagramma

Ornate et vos D. Mariae vias Viri docti et pij.

Ad Illuſtriſsimos DD. Academicos.

Inſenſatorum Peruſinae Vrbis Academia.

Anagramma

Eia pio, adſis, ſub cantu venerare Mariam.

Ad Sacras Religiones.

Omnes ſacrę Religiones Auguſtae Ciuitatis Peruſiae.

Anagramma

Proceſsionem gerite ſatis ſuaui Reginae Caeli. Iuuat.

Ad Viros Nobiles.

Omnes Viri Illuſtres Auguſtae Ciuitatis Peruſiae.

Anagramma

Cęli Maria venit, eius vultus, et vias ſpargite roſis.

Ad

Digitized by Google

Ad Excellentiſsimos DD. Doctores.

Collegium Dominor, Excellentiſsimorum Doctorum Auguſtae Vrbis Peruſiae.

Anagramma

Ecce Virgo Mater. Vror, Sol mundo exſurgit. Vos mecum manibus date lilia plenis.

Ad Pias Confraternitates.

Confratres et Conſorores Confraternitatum Auguſtae Ciuitatis Peruſiae.

Anagramma

En S. Maria Virgo, et Natus iter faciunt; Vos occurrite, orantes portate faces.

Ad DD. Ciues.

Omnes Ciues Auguſtae Ciuitatis Peruſiae.

Anagramma

Euge Mariæ canite, ſicut ros Apis ſuauis eſt.

Ad

Digitized by Google

Ad DD. Cantores.

Omnes Cantores Auguſtae Ciuitatis Peruſiae.

Anagramma

Auete. Vos ſuaues Cignos S. Maria petit.

Ad Magnificos Artifices.

Omnes Artifices Ciuitatis Peruſiae.

Anagramma

Pij ſitis; en facies Mariae tuetur vos.

Ad Plebem.

Omnis Plebs Vrbis Peruſiae.

Anagramma

Mariae populus es; benè ibis.

Ad

Ad Mendicos.

Omnes Pauperes mendicantes Ciuitatis Peruſiae.

Anagramma

Ecce mitis Maria veniens, dat iuuans opes. ſperate.

Ad Quoſcumque.

Omnes et Viri et Mulieres cuiuſcunque ſtatus vel conditionis Peruſinae Dioeceſis.

Anagramma

Ad proceſsionem S. Marię è Lilio cuncti vocantur Iuuenes et Senes. Venite, quid iuſtius?

IN

Digitized by Google

IN LAVDEM AVGVSTAE PERVSIAE
ANAGRAMMATA ET EPIGRAMMATA

Auguſta Peruſia ſequenti Anagrammate
Beatiſsimam Virginem ſalutat.

Peruſia Tuſciae Ciuitas, & Vmbriae Metropolis,
nunc Auguſta, quondam Turrena, Achaica,
et Ianigena appellata.

Anagramma

Aue, Aue Maria gratia plena, Veni huc in S. Petri
Templum: Quia magna dilectio tua, orabo
ſanè, vt Cor ſanctè paſcas.

Peruſia Auguſta Ciuitas

Anagramma

Tu Apes cuiuis viſa grata.

Epigramma

Lilia libantem te vidi in Palladis hortis,
Et vidi ambroſios te genuiſſe fauos.
Infer Apis generoſa tuos in ſepta volatus
Horti concluſi, & mellea Caſtra moue.
En Hortus clauſus tibi lilia porrigit, in quo
Diuina occulto nomine VIRGO *ſubeſt.*
Hic hodie auſpicijs Cœli claudendus in Vrbe
Auguſta, & celebri falce colendus erat.
Si properis illi nunc greſſibus obuia curras,
GRATA CVIVIS TV VISA nitebis APES.

Peruſia

Peruſia Ciuitas

Anagramma

Cui Ars, Ius, Pietas.

Epigramma

VRbs Auguſta, tui mirandum eſt nominis omen,
CVI ARS, IVS, PIETAS magna elementa gerunt.
Ars tua captiuos in vincula ducit Amoris,
Et Ius in populi pectora, celſa geris.
An concors Pietas animos componere plebis
Nouit, & in Diuos continet imperium?
Si tanta eſt Pietas, venienti applaude MARIAE,
Quæ ſedem mutans in tua Corda venit.

Peruſia

Anagramma

I pura es.

Epigramma

I Felix, te quò pellit tuus impetus; Aſtra
Quandoquidem PVRA ES, meta abeuntis erunt.
Meta abeuntis erit VIRGO *quæ lilia cordi*
Pura dedit, fronti & lilia ſerta dabit.

Digitized by Google

Peruſium

Anagramma

Vi pręſum.

Epigramma

VMbria me Dominam ſubmiſſo faſce ſalutat,
Paret & imperijs obſequioſa meis.
Vnde mihi ſceptrum, quæris, conceſſit olympus?
VI PRĘSVM; Virtus vi ſine nulla nitet.
Sed mea qua Virtus pollet vi? bellica quondam
Illa fuit, vires nunc mihi cedit Amor.

Peruſia

Anagramma

Pie vras.

Epigramma

ESt pietas Ignis, flamma hac pia pectora aduris;
VRAS corda PIE, dius hic ignis alit.
Felix ſi ſacro moriaris victima ab igne;
In cunas ibit qui rogus ante fuit.

Vrbs

Digitized by Google

Vrbs Auguſta Peruſia

Anagramma

Apibus tu grata vſu es.

Epigramma

VRbanis Apibus dum ſtillant mella per orbem,
Sedula tu præbes aluear, atque thymum.
Sic APIBVS TV VSV GRATA ES, ſed gratior orbi;
Nam geminis donis, Orbi, Apibuſque places.

Auguſta Peruſia

Anagrammata

Apes vſui grata
Apes viſu grata

VISVque GRATA, & GRATA APES es VSVI
Auguſta ſemper Vrbium Peruſia.
Iubeo valere hymettum: agros Elyſios
Valere iubeo, ſcilicet pro Elyſio
Patriàque florum Hymetto, abundè & vſui,
Et viſu APES es grata mihi Peruſia.

Peruſia

Anagramma

Ver, Apis.

Diſtichon

N*On miror flores, non miror nectaris amnem;*
Miror, quòd pariter ſis tibi VER, & APIS.

Peruſia

Anagramma

Ipſa Ver.

Diſtichon

P*Onite nectar Apes, dum vobis paſcua rident;*
En IPSA auguſto germine VER niteo.

Peruſia

Anagramma

I ſupera.

Diſtichon

A*Vguſta inuidiam ſuperaſti; ſi redit audax,*
I SVPERA, vt vincas nominis omen habes.

Peruſia

Digitized by Google

Peruſia

Anagrammata

Ex quibus compoſitus eſt Dialogiſmus
inter Hoſpitem & Ciuitatem.

HOSP. *VI pares*
Vi ſpera.

CIV. *Speraui*
Spe arui.
Ius rape.
Ah per ius
Vis paret.

Peruſia Ciuitas

Anagramma

Cui Ars, Ius, Pietas.

Epigramma

Quo eiuſdem Ciuitatis præſidium imploratur.

MAgna Vrbs, CVI PIETAS, ARS, IVS de nomine fulgent,
Exerce in noſtros munera tanta lares.
Plurima per ſumptus hîc eſt ſuſpenſa papyrus,
Quam petulans laceret ne manus, Ipſa iube.
Ius petit, Arſque probat, fiat ne iniuria chartis;
Maiori at Pietas hoc vetat imperio.

Auctor

Digitized by Google

Auctor In Zoilum.

Saxea ſunt, fateor, ſunt PETREA carmina, verum eſt;
Carmina ſunt etenim nomine digna meo.
Dicam etiam, vt verbum hoc rodas, mage PETREA vellem,
Quando ea mordaci, Zoile, dente feris.

Digitized by Google

AVCTOR LECTORI.

Miraberis, amice Lector, quòd hac rurſum noua te compellem epiſtola. Sed cauſam docebo paucis. Haberi excuſatum à te volui, ſi ſecus accidiſſe in hoc apparatu cognoueris, atque ipſe in epiſtola ſuperiore docuerim. Nam quòd de nonnullis Abbatibus quædam hoc ſcripta legas in opere, qui tamen inter viuos non agunt: quòd non promiſſa procedentium obuiam Abbatum pompa, nouum in noſtri Templi Sacellum B. Virginis de Lilio Imago tranſlata ſit: ac denique quòd inopia temporis limatiore ſtylo exarare me non potuiſſe dixerim, cum integer iam annus ab eo tempore ſit exactus: omnia inde profecta eſſe ſcito, quòd habenda ſuperiore anno Comitia reiecta ſunt certis de cauſis in præſentem; adeoquè cum iam omnia commiſſa typis eſſent, ac edita, compendium facturus impendij, nolui & laborem præterea negligere, & à capite iterum redordiri; præterquam quòd libentiſſimè tuli, vt Auctoris indiligentiæ aliquid poſſes de tua humanitate, ſcriptionis peccata illi condonando, largiri. Qualecumque tamen hoc fuerit, fac æqui, bonique conſulas, & Vale.

FINIS.

Digitized by Google

EXTEMPORALIS
MVSARVM
ADMODVLATIO.

Digitized by Google

CArminum apparatui ſuprema iam impoſita manu, tranſlationis pompa biduò poſt celebranda erat, quum ecce inopinatò Peruſiam acceſſit Eminentiſſimus Princeps Cardinalis FRANCISCVS BARBERINVS ; *è cuius aduentus vberi lætitia excitatus ipſe, interpres omnium, omineque inde capto tranquillæ pacis, ſequens Anagramma cum ſubiecto Epigrammate, extemporali, ſed ni fallor, non infauſtò marte exaraui. Quod cum ipſomet aduentus die, maioribus inſcriptum literis expoſuiſſem, vt Apparatui pretium faceret, nunc illud in fine operis ſubnectendum duxi, vt totum opus iam dudum typis commiſſum ex poſtrema hac ſcriptione non minùs ſibi coronidem imponeret, quàm ſummam auſpicaretur fœlicitatem. Tibi verò non ingratum fore exiſtimaui, ſi ad tanti Principis Protectoris plauſus, eos etiam adijcerem, quos in Eminentiſſimum Principem Cardinalem* PANZIROLVM, *& Illuſtriſſimos Viros; Præſulem* DOMINICVM CECCHINVM, *ac* IO: NICOLAVM TIGHETTVM *de Caſinenſi Familia benemeritos mea nuper excitauit obſeruantia.*

Eminentiſsimus, et Reuerendiſsimus Princeps

FRANCISCVS

S.[ti] Laurentij in Damaſo

CARDINALIS BARBERINVS

S.[mi] Domini Noſtri Vrbani Papae Octaui ex germano Fratre Nepos, S. R. E. Vicecancellarius et Summiſta, Archipresbyter Baſilicae S.[ti] Petri, et Monachorum Congregationis Caſinenſis perpetuus Protector.

Anagramma

Faceſſe fronte caperata dolor. Nubes imbrium lacrimantium abite. Ecce purpura inſignis Heros, ętherij gaudij Nuncius Peruſiam acceſsit. Nonne Pax terris adeſt, ac riſus olympi nobis cernitur? S. MARIA è Lilio certè miſericors ſie, nos beans, arriſit, mittens Virum, vt pace proſit. En ad nos pergens, ipſamet annuit.

Epigramma

FACESSE triſtis FRONTE CAPERATA DOLOR
Pluuiaque NVBES IMBRIVM LACRIMANTIVM
Procul hinc ABITE ad patrios erebi Lares.
INSIGNIS ECCE PVRPVRA HEROS, NVNCIVS
ETHERII, & orbem animantis iſtum, GAVDII
ACCESSIT Auguſtam repente PERVSIAM.
PAX NONNE TERRIS nunc ADEST, AC CERNITVR
NOBIS OLYMPI RISVS, ex aſtris, eo

 Serenitatis


Serenitatis aureo huc vellus finat!
Quæris beato cuius augurio venit
Ad Nos voluptas? S. MARIA E LILIO
CERTE MISERICORS, NOS BEANS, **Peruſiæ**
Patrona, SIC ARRISIT, huc MITTENS VIRVM
VT PACE PROSIT, & ſalus nobis ſiet.
EN IPSAMET PERGENS pia AD NOS, ANNVIT.
Tu gaudij cauſam tene; nam qui Dei
Sapientia mundum regit, cæleſtium
Hunc gaudiorum voluit Jlle interpretem.

Emi-

Digitized by Google

Eminentiſs. & Reuerendiſs. Principi

IOANNI IACOBO CARD. PANZIROLO.



Lorica gentilitia priuatæ pacis trophæum.

CVr tua pugnacis LORICA adamantina Martis
Otia gentili in ſtemmate tanta trahit?
Pugnaſti, vt video, ſatis; & victo hoſte trophæum
Hic tua iam Virtus Pacis in Aede dicat.

Eadem

Digitized by Google

Eadem publicæ pacis omen.

E Cœlo quondam cecidere Ancilia in Vrbem,
Mirum opus Aſtrorum, pignus & Imperij.
Nunc eadem Superis Loricam Vrbs inſerit Aſtris,
Bina tui hoc, PRINCEPS, ſtemmatis Aſtra notant.
Dum dolet iratis Cælum lacrimabile telis,
Vndique bellorum quæ noua fata vibrant;
Ecce tuum ad pugnas Aes impenetrabile, Cælo
Augurium felix, prouida Roma dedit.
Cedite mortales, Pacem pia ſidera donant,
Quòd PANZIROLI fortius Aere micant.

In Auguralia ſidera.

AVrea quid patrio duo ſidera ſtemmate fulgent,
Et geminum fundunt duplici ab orbe iubar?
Nimirum, iam fama tui complectitur orbem;
Et gemino cinget lumine vtramque polum.

Ioannes Iacobus Cardinalis Panzirolus

Anagramma

I iã ponas orbi clara in zona lucens ſidus.

Epigramma

PRouida conſtituit rerum Natura creatrix,
Vt præſint mundi ſidera præſidio.
Propterea auricomo dum fundunt lumen ab axe
Omnia vitali luminis imbre rigant.
Magnanime, ò PRINCEPS*, en te, mihi crede, rubenti*
(Omina quæ fuerant) ſidera luce beant.
I, CLARA PONAS IA IN ZONA ſtemmatis ORBI
LVCENS SIDVS, quo Corda animoſque regas.
Scilicet haud timeant tenebroſæ nubila noctis,
Queis igne hæc vigilant ſidera bina ſacro.

Eminen-

Eminentiſsimus et Reuerendiſsimus Princeps
IOANNES IACOBVS PANZIROLVS
Romanus Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis, et apud Regem Hiſpaniarum Apoſtolicae Sedis Nuncius.

Anagramma

Is zelum benè ſumens, more dulcis, ſapiens Pacis Interpres, innata oris, ac Roſeae Tiarę vi, inſani martis galeas, ęra, ac THORACEM deinde ſuum, in Apium vſus Populis concedet in annos.

Epigramma

DVm ſæua Auſonias volitat Bellona per oras,
Et paſſim validos cogit in arma Viros:
Dum gladij horreſcunt, dum buccina mugit Enyus;
Nullus adeſt rabido tutus ab hoſte locus.
Res agitur furijs. Superi dormitis ad iſta,
Et ſolitam lapſis ferre negatis opem?
Nil opus audaci Troiam qui incendit Atride,
Theſſalica infeſta nil opus arte Ducis.
En PANZIROLVS *ſacro qui murice fulget,*
Comprimet horrendas, Marte cadente, minas.
IS ZELVM BENE SVMENS belli infringet Erynnim
DVLCIS MORE, ſuo dulcior eloquio.
Nimirum SAPIENS INTERPRES PACIS habendæ,
Sanctaque ſinceræ fœdera pacis amans:
INNATA ORIS VI, ROSEE AC ſplendore TIARAE
Inuidiæ tenebras, inſidiaſque premet.
Nam GALEAS, ERA, AC THORACEM DEINDE mi-
Ipſe SVVM Martis ſubtrahet imperio. *(cantem*

MAR-

Digitized by Google

MARTIS ET INSANI ARMA, APIVM CONCEDET
Ex his vt POPVLIS aurea mella fluant. (IN VSVS,
Heſperiæ, ò PRINCEPS, *æquè fulgeſcis vtrique;*
Te tamen illa tenet, te procul iſta dolet.
Ergo redi, vt redeat per te Pax aurea IN ANNOS
Et firmo Italiam fœdere nectat Amor.

Eminentiſsimus Dominus IOANNES IACOBVS Cardinalis PANZIROLVS

Anagramma

En vi Nominis micas. Plenus es aſtris zodiacus donans orbi lumina.

Epigramma

CRedo equidem, rutilat duodeno ſidere Cælum,
Dirigit & Phœbo zona magiſtra viam;
Quando his maiora in te PANZIROLE *videmus,*
In quo, ſol melior, Gloria currit iter. (TRIS
EN VI NOMINIS Ipſe MICAS, quòd PLENVS ES AS-
Tot DONANS ORBI LVMINA, ZODIACVS.
Auguror. hunc triplici Sol aureus orbe recurret,
Nobile cum cinget trina Tiara caput.

IOANNES IACOBVS PANZIROLVS

Anagramma

Vi, non caſu, ſano zelo praeibis.

Epigramma

NOn vis, non ferrum, ſed virtus inclyta famam
Iactat in orbe tuam, meritoſque rependit honores.
Imò etiam Vis, ac ferrum tibi ſerta pararunt:

Addita

Digitized by Google

Addita queis Virtus tria ceu miracula pandit.
Scilicet hæc ſunt, quæ in te ſuſpexere Quirites,
Et mundi Proceres, & Pax VRBANVS *olympo,*
Vis animi, Robur, Diuini & zelus Honoris;
LORICAM vt meritò Proauùm tibi ſtemma reſeruet:
Tanta tua eſt Virtus, & cum virtute poteſtas.
Hæc tibi tergeminum pepererunt Nomen in Vrbe,
Hæc tibi ſidonio ſaturarunt murice veſtes,
His VI, NON CASV, SANO certè auſpice ZELO,
Quod tua fata volunt, in PETRI *ſede PRAEIBIS.*

Digitized by Google

Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo Præſuli

DOMINICO CECCHINO

SACRAE ROMANAE ROTAE

AVDITORI.



ELOGIVM

Immortalem Nominis felicitatem
Nobili Gloriæ calamo, illuſtri Honoris atramento
Æternitati dum conſecrat
Aureis notis Fama obſequioſa deſcribat.
Auro ſcilicet perennare eius Virtutes merentur,
Qui totus moribus aureus eſt.
Animum Hic ad ſapientiam ſemper aluit
Quippe ſapientiam nunquam non habuit alumnam.
Natura facilitatem dedit, Induſtria virtutem comparauit.
Cui vnus labor ſemper pretioſus fuit,
Gloria ipſa dignum eſt præmium, & pretium laboris.
Quin ideo ſapientiſſimam frontem gemmis coronatam dixeris;
Qui enim eliquatur ex fronte ſudor,
Ad obſtinatam laboris duritiem
Obdureſcit in gemmas.
Quàm dignus idem eſt vt in aſtris ius dicat!

Cui

Digitized by Google

Cui
Dum Æquitati conſulit, Aſtræa
Suas lances librandas dedit
In ſacro Romanæ Rotæ Prætorio.
Æquiſſimum ſanè videtur,
Vt ſecundo Curſu fortunæ Rota illi decurrat,
Qua fortunatum ſuorum orbem honorum conficiat.
Legem enim imponit fortunæ, qui Iuſtitiæ leges tuetur.
Sapientiam quærens, ſtudiorum aſperitatem adamauit,
Et veræ gloriæ ornamenta inuènit.
Non igitur mirum ſi ſpinoſum virtutis iter
In Roſas & Lilia illi emolleſcere didicit.
Regij flores eius in ſtemma certè abierunt
An vt floridum honorum Regnum ominarentur?
Primigeniæ ſanè felicitatis renouato miraculo
Spinarum oblitæ illi efflorеſcunt.
CECCHINI integerrima Pietas hoc meretur,
Vt, quas magnanimo virtutis pede calcauit,
Spinæ ipſæ vertantur in Roſas.
Hercule generoſior
Difficultates terruit, non timuit.
Et Virtutem magnanimo ardore ſequutus
Ancillantem habet famam, obſequentem laudem.
Illa meritorum amplitudini, hæc eius Virtuti debetur.
Sic demum qui vni vixit ſapientiæ
In omnium viuit, viuetque animis ſapientum.
Diſce Lector.
Labori non parcat, qui gloriæ ſeruit.

Digitized by Google

Illuſtriſsimo Præſuli

DOMINICO CECCHINO

Felicitatem auſpicatur Heliconis Chorus.

CALLIOPE

QVid, CECCHINE, tibi candentia Lilia pingis,
Et pubeſcentes, crine rubente, Roſas?
Candidus Ipſe, reor, roſeo decorandus amictu es.
Sic lætum augurium nobile ſtemma parit.

EVTERPE

HIc vbi odoratum florenti ſtemmate pandit
Terra ſinum, Cœlum roſcida dona pluit.
Nonne vides celſo rident vt Lilia vultu,
Et Roſa purpurea in cyclade geſtit ouans?
Gratulor, omen habes, CECCHINE; hinc nectare plenum;
Paſcua fers Apibus, quæ tibi mella dabunt.

MELPOMENE

LIlia mixta Roſis, patrio quæ ſtemmate florent,
Non niſi virtutis ſunt ſimulacra tuæ.
Auguſtos orbi Roſa regia pandit honores,
Innocuæ referant Lilia mentis opes.
CECCHINIS igitur tollatur ſtemma vetuſtum.
Tu poteris melius ſtemma nitere tuis.

TERPSICHORE

QVid Roſa, quæ vigili ſpina vallata ſuperbit,
Eſt tibi ſpinarum nuda ſatellitio?
Quæ mucronatis & Lilia frondibus albent,
Quid tibi non vigili fronde ſuperba nitent?
Sentio. Nulla tuos munit cuſtodia flores;
Ipſe tuis Argus floribus eſſe ſoles.

CLIO

Digitized by Google

CLIO

O Praeſul Dominicus Cecchinus Romanus

Anagramma

Es ſeculi huius non parùm micans decor.

Epigramma

INſcribe feſtos fauſtitas, non candido
Diem lapillo, more iam priſco, notans;
At ſolis aurei lucidum petens iubar
Radio nitoris exara illuſtrem diem
CECCHINI *ab almo nuncupandum Nomine.*
Sed parua iubeo, nempe tua Virtus poſtulat
Maiora, Præſul. merita Nomen indicat:
ES SECVLI HVIVS NON PARVM MICANS DE-
Vrbs Roma gaudet, magna dum quæ comparant *(COR.*
Tellus & Aſtra ſimul honorum prodiga,
Minora præmia meritis videt tuis.

THALIA

Praeſul Dominicus Cecchinus Sacrae Romanae Rotae Auditor.

Anagramma

En Is aureo micans ardore Corda trahit, ceu paleas ſuccinum.

Epigramma

EN CORDA IS AVREO MICANS TRAHIT Virùm
ARDORE, CEV PALEAS trahere ſcit SVCCINVM.
Quid quæris? an Gemma Hic ſiet? certè, & polo
Genita, igne dio rutilat, igne hoc allicit.

Digitized by Google

ERATO

Illuſtriſsimus et Reuerendiſsimus Dominus Dominicus Cecchinus Romanus, Praeſul, Sacraeque Romanae Rotae Auditor

Anagramma

Auſpicium do tui Nominis. Ramus Roſarum es, cui inſidet Ales, rorem ſedula ſumens, ac ore liquans nectar. Sic eſt. Haud erro.

Epigramma

ECce TVI DO NOMINIS AVSPICIVM. Ipſe ROSARAMVS ES, & medio Ver Aquilone facis. (RVM Ramus, CVI ſuper INSIDET ALES, SEDVLA SVMENS ROREM, AC artifici NECTAR ab ORE LIQVANS. SIC EST, HAVD ERRO. Viden vt tibi nectare fœtæ VRBANAE *æternum mel fabricantur Apes?*

VRANIE

Dominicus Cecchinus Romanus Sacrae Romanae Rotae Auditor

Anagramma

Heros acer coronande, Coronam ſumes Vicarius Dei Vaticanam.

Epigramma

NOmina dant omen, fluit an tuo ab omine nomen?
Vtrumque. ex aſtris nomen, & omen habes.
Vaticinor; mentem inſpirat cæleſtis Apollo;
Qui tibi ab oſtenſo hæc nomine fata canit.

Viue

Viue CORONANDE HEROS ACER, nempe CORONAM
SVMES VATICANAM; ut Polus ipſe iubet.
Conſtituesque DEI ſic Iura VICARIVS orbi
Legibus & latis annuet axe Deus.
Ver erit aſſiduum, decurrent ſæcula melle;
Lactea nam pandes Lilia iuncta Roſis.

POLYHYMNIA

Dominicus Cecchinus Romanus

Anagramma

Hic ceu Iaſon in mundo coruſcus.

Diſtichon

IN MVNDO eſt HIC CEV IASON; fulgetque CORVSCVS
Scilicet, & Legum ſplendor, & arca nitet.

APOLLO

Ode

NOn ibis vna clarus adorea,
Cui mille Virtus regia laudibus
CECCHINE ſe largitur vna
Et niueum ſine nube pectus
Implet. Tibi iam Laurea Numini
Sacrata noſtro, tempora protegit;
PALLAS virenti & nexam oliuo
Impoſuit Capiti coronam.
Telluris at vos Aſtra virentia
ROSAE rubentes, LILIA candida
Diſtincta textu florulento,
Ite modo, & nitidam merenti

Vincite

Vincite frontem. Tu ſi quidem ardua
Cui trita forti iam ſatis eſt pede
Virtutis ò Præſul via; & qui
Sidera adis properante greſſu;
Calcare deinceps non potes aſpera
Dumeta, pulcher quæ labor in Roſas
Abire iuſſit. quod beatum
Auſpicium tibi ſtemma fecit.
Ornant iter nam Lilia lacteum,
Et iam Roſarum ſemita purpuram
Sternit. duplex ſic Regius flos
Nititur imperium parare.
I perge ventis fama citatior;
CECCHINVM in orbem prouehe ſiderum;
Romanæ enim ſacræ Rotæ Heros
Empireum Imperio rotabit.

Illuſtriſ-

Digitized by Google

Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo Domino

IOANNI NICOLAO TIGHETTO

BASILICAE S. PETRI CANONICO

ac

Emin.[mi] Principis CARDINALIS BARBERINI

Primo à Secretis.



Epigramma

QVæ tibi gentilis celſo contermina Cælo
Stat Turris, regitur mole, TIGHETTE, ſua.
Hæc tua nobilitas. Tibi ſat nec viſa: perenni
Aggere virtutis cingere quam placuit.
Gratulor: æternum viues cum ſtemmate. tanto
Vallo, non vnquam Turris adaucta cadet.

by Google

Aliud

AVdax fronte ſua quid tentat in æthera Turris?
Anne Gigas Cælo bella, TIGHETTE, paras?
Hoc puto; nam ſuperis potis eſt indicere bellum,
Et rapere aſtra manu, nobilis Integritas.

Ioannes Nicolaus Tighettus

Anagramma

Altus it ingenio ac honeſtus.

Epigramma

CVm luce ingenij ſublimis certat honeſtas;
Eſt his, cui meritò gloria prima datur.
ALTVS IT INGENIO hic Heros, ſe AC tollit HONESTVS.
Icarias pennas haud habet. Aſtra petit.

D. Ioannes Nicolaus Tighettus

Anagramma

Nota. Nitidus Angelus hic eſt.

Dialogiſmus

HEroem iam quiſque NOTA. poſt, pande per orbem.
Quem referas? Dicam: HIC, ANGELVS EST NI-TIDVS.
Angelus eſt nitidus, manante modeſtia ab ore,
Ore liquante melos, fronte vibrante decus.
Angelus eſt nitidus, dio quòd flagrat amore,
Quòd Cæli mores, ingenium que ferat.
Angelus eſt nitidus: mihi ſed magis Angelus Hic eſt,
Quòd ſibi ab his radijs Angelus haud niteat.

Ioannes

Digitized by Google

Ioannes Nicolaus Tighettus

Anagramma duplex

En Hoſtis inuigilans: Caueto.
Ohe ! ~~quid~~ nucas? Cantu vigil eſto.

Ode

Ipſe monet.

HOSTIS EN vſque INVIGILANS: CAVETO.
OHE ! quid NVTAS ? VIGIL ESTO CANTV.
Cantus eſt cuſtos Larium; & Latronum
Detegit artes.
Ambit en terras erebi Tyrannus,
Otioque vrget male conſepultos.
Surge. ſic audes tumulatus altos
Carpere ſomnos?
Cernis, vt diro terat ore prædas,
Et voret mollem inſatiatus Hoſtem?
Quid piger torpes? preme fraudulentos
Peruigil aſtus.
Languida optato vigilare cantu
Vox nequit? Nutas? Vigil eſto corde
Cantus hic cordis melius beatas
Excitat aures.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google